


EPISTULA LEONINA

CCLXXXIV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTES, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM QUARTAM (284)

ARGUMENTA

| | |
|---|----------------|
| PRAEFATIUNCULA..... | 03-07 |
| LITTERARUM RADICES SUNT AMARAE..... | 08 |
| CARMEN MAURI PISINI POETAE LAUREATI: Imber..... | 09 |
| DE INTERITU IMPERII ROMANI (<i>Demandt</i>) | 10-15 |
| DE ROMANORUM VIRTUTIBUS (<i>Leo Latinus</i>) | 16-69 |
| DE SCRIBA ROMANO (IV) narrat Lydia Brighi Ariminensis..... | 70-71 |
| DE IACOBELLO BOTONE ET LUCA HAMAXISTA (<i>Ende/LL</i>) | 72-77 |
| IN MEMORIAM INCLUTAM GEORGII SLEDNIKOV..... | 78-79 |
| CHRONOGRAMMATA (<i>Rößler</i>) | 80-99 |
| ECHUS VOCES & EPISTULAE..... <i>Ansgarius Osloensis (100-102) – Marcus Cristini Brixianus (102-103) - Victorius Ciarrocchi Pisauensis (104-106) - Alexius Vestigiarius (106-110) - Gustavus Tavares Brasilianus (111) - Olga Sadvaya (112-114) - Maximilianus Pulcher (114) - Joannes Carolus Rossi Mediolanensis (115) - Radulfus Bonaeropolitanus (115-117) - Urbanus Ferrarius Brasiliopolitanus (117-119) - Naevius Sartorius (119-135)</i> | 100-135 |
| EPISTULA CHRISTIANI LAES..... | 136-137 |
| CERTAMEN QUIRINALE..... | 138 |
| MYSTAGOGUS PULCHER AUGUSTANUS..... | 139 |
| ALEDARIUM QUID SIT (<i>Alexius Vestigiarius</i>) | 140 |
| LIBRI LEONIS LATINI..... | 141-144 |

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

salve, mi optime! Quomodo te habes? Utinam bene valeas! Haec Epistula Leonina aliquantulo retardata est, quia aegrotat avis mea tonitrualis. Quaeris, qualis avis sit ista? Non est avis vera et naturalis, sed est programma interretiale, quo epistolia electronica mittantur et accipiantur. Spero tamen te accepturum esse hanc Leoninam salvam atque integram.

*Avis tonitrualis morbo incommodê factum est, ut nimis sero annuntiarem **monstrationem mystagogi Maximiliani Pulchri Augustanam**: Nam eadem iam facta est die Saturni (d.16. m.Sept.). Ignoscat mihi bonus Maximilianus! Tu autem, cara Lextrix, care Lector, aspice praeconium idemque recordare proximo anno, ut particeps fias novae monstrationis Augustanae!*

Denuo Leo tibi praebet Cornu Copiae et Saturam Lancem: Lectionem utinam ne asperneris: magna est varietas, quia delectat, habemus etiam aliquid aptum ad gustum tuum delicatissimum.

*Ne taedio temporis vexeris, cara Lectrix, care Lector, etiam huic Leoninae inserui narrationes: Lydiae Brighi **SCRIBAM ROMANUM** et Michaelis Ende **IACOBELLUM BOTONEM ET LUCAM HAMAXISTAM**.*

Ne umquam praetermittas, o Musae Leoninae amatrix
amatorve, **CHRONOGRAMMATA** Tobiae Rössler
artificiosissima!

Thema autem Leonis novissimum simul est
antiquissimum: Post multa itinera exotica et moderna,
Leo revertit ad patriam Latinitatis: ad **HISTORIAM
LITTERASQUE ROMANORUM**. Duae symbolae huius
Epistulae Leoninae principales spectant ad provinciam
Latinitatis veram atque genuinam: **DE INTERITU IMPERII
ROMANI** et **DE ROMANORUM VIRTUTIBUS**. Dicat aliquis:
»Quid hoc sibi vult? Nil novi nobis praebes! Haec omnia
nos iam pridem didicimus in scholâ et in universitate.
Vin tu repetere, ut ait Iuvenalis, *cramben repetitam a
magistris?*« - St! Exspecta paulisper! Nam iuvat et
delectat ea quae iam in scholâ didicimus novâ ratione
perquirere, ut nova cognoscamus. Scilicet nos Romanorum
virtutes et praecepta moralia considerare mente criticâ,
non caecâ admiratione gloriae et maiestatis inebriatos.
Non credimus Romanos fuisse heroes mythicos semideos,
sed Romanas litteras perquirentes concludimus illos ante
duo ferê millennia viventes cum homines fuerint nec
aliter ac nos erravisse; nam **errare humanum est**. Nos
autem cum etiam homines simus, **nil humani a nobis
alienum putamus**. Hac condicione hominum generali
observatâ rogo te, ut perlegas meam tractatiunculam
historico-ethologicam. Et cognosces illos Romanos, qui rei
publicae praecerant (priore saltim aetate) nonnullas
virtutes multo antiquius habuisse quam politicos
hodiernos: **prudentiam** et **parsimoniam** et **fidem** et

pietatem et iustitiam – an aliter sentis? – Nonne nonnulla proverbia Romana nos commonefaciunt virtutum, quas iam pridem dolenter desideramus? Affero nonnulla exempla: “*Rem tene, verba sequentur!*” (Quot politici hodierni hoc proverbium sequuntur? Statim in mentem mihi veniunt ministrula nostra rerum externarum necnon minister noster oeconomiae: quia rem omnino non tenent, nulla verba sequentur nisi stulta et inania). – Alterum exemplum: “*Sedendo vincimus.*” – En vide, quantum negligat gubernatio nostra hanc rationem Romanorum salutarem! Bellum atrox saevit in aliâ terrâ (nequaquam nobiscum consociatâ), quod cum pergatur ingravari, toti mundo imminet ecpyrosis nuclearis. Pro eo, ut ministri nostri, qui per errorem gravissimum sibi videntur electissimi, condicionem Germaniae neutralem praeferant bellicosae et cum aliis nationibus studeant disceptando et colloquendo istud bellum exitiale mitigare et efficere, ut, nisi statim pax, saltem inductiae fiant – quod esset vere sanissimum et sapientissimum – furore bellico obsessi globalistis Americanis caninâ sum adulatione dediti nihil habent antiquius quam arma mittere in Ucrainiam quam plurima et quam periculosissima. Ut defendant Ucrainiam *ad unum omnes*, i.e. usque ad ultimum Ucrainiae incolam. Quanta insania! Restabunt, si optimè eveniet, Ucraina terra devastata et Europa decocta et obaerata, si pessimè, totus globus terrestris radioactivus animantibus orbatu. Num duces Romanorum aetatis priscae rem publicam duxissent in tantam perniciem?

Et iuvat in memoriam revocare tertium Romanorum proverbium: "*Domi concordia, foris pax*". Etiam hoc dictum mirabile ministri populi nostri minimè observant: Nam in dies maior fit domi discordia, et foris augetur bellum! Nec possum, quin afferam quartum proverbium Romanorum dulce et decorum: "*Salus populi suprema lex!*" Utinam haec verba cordi essent baburris istis, qui moderari contendunt nostrae rei publicae! At – proh dolor – isti latrones a nobis saginati faciunt contraria! Verum enim vero, nostri politici, si Romanorum historiae studerent cognoscendae, nonnulla perutilia addiscerent – si quidem – quod licet addubitare – ullam rem discere possent! ---


Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam *EPISTULAS ET ECHÛS VOCES* mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ... Denuo Leo te movet *CERTAMINIS QUIRINALIS*. Utinam quam plurimi iuvenes ingeniosissimi et Latinissimi nomen dent participando! – Restat, ut commemorem praeconium *ALEDARII* mihi ab *ALEXIO VESTIGIARIO* perhumaniter missum. Îdem vir humanissimus nobis nuper misit Nuntium Lugubrem de morte Patris sui summâ cum pietate scriptum (p.78-79). Utinam quam plurima Latina accipiamus ex Europâ orientali. Nam Latinitas huius regionis uberrima alibi parum nôta esse mihi videtur.

Nunc laetare perlustrans symbolas huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse

*scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris – »sublimi
feriam sidera vertice«. – Si agitur de quaestionibus
litigiosis – semper studeas non solum thesi, sed etiam
antithesi inveniendae; denique, mi care, fortasse feliciter
continget, ut nos, tu et ego, unâ inveniamus *synthesin!*
Sed quaecumque senseris, ne umquam obliviscaris
proverbium Romanum: **AUDIATUR ET ALTERA PARS!**
Cara Lectrix, care Lector, --- pancraticè valeas et pergas
mihi favere. Medullitus te salutat...*

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae




<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae

Die Lunae, 18. m.Sept. a.MMXXIII



**ΤΗΣ ΠΑΙΔΕΙΑΣ ΑΙ ΡΙΖΑΙ ΕΙΣΙΝ ΠΙΚΡΑΙ
Ο ΔΕ ΚΑΡΠΟΣ ΓΛΥΚΥΣ
LITTERARUM RADICES SUNT AMARAE
FRUCTUS DULCIS**

cfr ARISTOTELES ap. Diogenes Laertius V,18 Τῆς παιδείας ἔφη τὰς μὲν ῥίζας εἶναι πικράς, τὸν δὲ καρπὸν γλυκύν. cfr <http://digiliblt.lett.unipmn.it/xtf/view?docId=dlt000145/dlt000145.Xml;query=&brand=default>:

DIOMEDES Ars grammatica lib.I.: .. de declinatione exercitationis chriarum. chriarum exercitatio in casus sic uariatur. nominatiuo casu numero singulari, **Marcus Porcius Cato dixit litterarum radices amaras esse, fructus iocundiores;** genetiuo casu, Marci Porcii Catonis dictum fertur litterarum radices amaras esse, fructus iocundiores; datiuo, Marco Porcio Catoni placuit dicere litterarum radices amaras esse, fructus iocundiores; accusatiuo, Marcum Porcium Catonem dixisse ferunt litterarum radices amaras esse, fructus iocundiores; uocatiuo, o tu Marce Porci Cato, ne tu egregie dixisti litterarum radices amaras esse, fructus dulciores; ablatiuo, a Marco Porcio Catone dictum accepimus litterarum radices amaras esse, fructus dulciores; nominatiuo plurali, Marci Porcii Catones dixerunt litterarum radices amaras esse, fructus dulciores; genetiuo, Marcorum Porciorum Catonum dictum fertur litterarum radices amaras esse, fructus dulciores; datiuo, Marcis Porcii Catonibus placuit dicere, id quoque; accusatiuo, Marcos Porcios Catones dixisse ferunt, id quoque; uocatiuo, o Marci Porcii Catones, ne uos egregie dixistis, id quoque; ablatiuo, a Marcis Porcii Catonibus dictum accepimus litterarum radices amaras esse, fructus dulciores. hoc quoque exemplo ceterae chriae declinationes subicientur.

CARMEN MAURI PISINI: CAELITUS (I)*

Imber

*Frondebibus in tremulis sistit, vibrat altus et haeret
 imbris, nunc, sonitus, tenuis velut aura, susurrans,
 dum cerasi penetrat calyces guttisque saginat
 parvis et nitidis: caelum lacrimare videtur
 nubibus e vernis, dum murmura promit aquarum 5
 quae, mane exorto, loca reddunt undique tersa.
 Nam, rus sub pluviis singultibus omne resultat
 et flores cupiunt liquido diademate cingi,
 ut petalis vigeant magis pulchris nec, tamen, imber
 privat eos croceo, quo vivunt, polline, aut auget. 10
 Leni, etenim, petit hos lapsu nidosque volucrum
 visitat in somnis, vel plumis ludit earum,
 aut, hortos adiens, turgentia germina hibisci
 contactu solidat, dein, xystos vellicat urbis
 vitam paene novam platanis ulmisque reducens. 15
 Demum, ut ros, imber caules alit usque rosarum
 et simul haeret eis, dein perfluit intus et ipsis
 ingenerat foliis segmenta intensa ruboris,
 vel, breviter, recreans phylli in candore corollas,
 finit opus redivitumque parat, post nubila, solis. 20
 Tum, variis stillis iris, sata ab imbre, serenum
 campis nempe refert ubi, mox, rutilantior ardet
 in tiliae gemmis, deinde, herba in solstitiali,
 aut, velut unda maris, cum spumam luce reflectit,
 paulatim expandit pigmenta et splendet in arcu. 25*

PEPIGIT MAURUS PISINI POETA LAUREATUS

* Carmen, cuius partem primam hac Epistula Leonina in lucem edimus, a Mauro Pisini poeta laureato scriptum, in Certamine Capitolino LXVII Praemio Urbis ornatum est. Cfr *LATINITAS Series nova. V. MMXVII. Volumen Prius*, p.107.

DE INTERITU IMPERII ROMANI

Finis ordinis vetusti



Prof.em. Alexander Demandt

Imperium Romanum extraneis favebat. At immigratores ad mores non accommodabantur nisi numero erant minore. Ordo potentium mutatus est. Hominibus extraneis imperium mansit alienum – tamen iidem potestatem susceperunt. Haec symbola d.22. m.Ian. a.2016 publicata est in FAZ (i.e. Frankfurter Allgemeine Zeitung), scripsit Alexander Demandt, Latinê reddidit Nicolaus Groß.

Professor Dr. Alexander Demandt in Liberâ Universitate Berolinensi docuit historiam antiquam.

Textus, qui infra sequitur, recusatus est a redactore periodici, quod inscribitur „Die politische Meinung“ (i.e. opinio politica). Redactor autem causam recusandi afferens dixit fieri posse, ut textus eâ condicione temporis, quae nunc valeret, falso intellexeretur. Auctor nunc explicat, quid sentiat de hac recusatione.

Domine Professor Demandt, quid sentis de eo, quod textus, quem de fine Romae antiquae inter gentium migrationem facto ut scriberes tibi mandatum erat, primo mandatus, postea recusatus est?

Hoc factum est per stultitiam crassam.

Quidnam discere possumus ex interitu Romae?

Rem publicam tractandam esse circumspectê respiciendosque esse effectûs immigrationis diuturnos. Pervetusta est simultas, quae populis pauperibus intercedat cum divitibus. Necnon vetustus est Europaeorum metus ab australibus gentibus pauperibus. At cultus civilis non interire solet nisi per tempus longius – Roma interiit per spatium quingentorum ferê annorum.

Quid tu, ut es historicus, suaderes cancellariae foederali?

Affluentia immigrantium nobis est redigenda. Hoc plus minus omnes sciunt. Ad hunc finem assequendum necesse est pati res quasdam asperiores. Nam oportet primo innotescat non esse operae pretium venire in Germaniam. Non licet nobis destituere summam rerum potestatem. Dominae Merkel non licet agere in salutem gubernationum alienarum, populi Germaniae sumptibus. Eadem iure iurando obligata est ad rem contrariam. Eiusdem factis subest quaedam arrogantia moralis. Oportet agere in salutem populi proprii – nec aufugere.

Interrogavit Reinhard Müller

Ecce symbola Alexandri Demandt integra:

Vere anni 376 p.Chr.n. Antiochiâ in urbe Syriae, in aulâ imperii romani apparuit legatio Visigothorum¹, qui venerant e Moesiâ provinciâ prope ostium Danubii fluminis sitâ. Germani rettulerunt ex Asiâ interiore apparuisse Hunos², gentem equitum feram, quae Ostrogothos³ regionis in septentrionem Ponti Euxini sitae incolas devicisset et minata esset Visigothis fortunam fore similem. Quos aufugisse, nunc in ripâ Danubii septentrionali stantes esse profugos homines pacificos et rogare, ut in imperium reciperentur.

Nonnulli quidem consiliarii imperatoris a profugis recipiendis dissuaserunt, sed superaverunt ii, qui mallent rogationem praestare. Iidem enim affirmaverunt illos, qui immigrarent, eo utiles fore imperio, quod fierent coloni vectigalia pensuri et stipendia facturi; accedere, quod imperatori christianâ caritate proximorum praedito officium esse non solum saluti prospicere Romanorum, sed etiam omnium auxilio egentium. Itaque rogatum est permissum, limes apertus, ut Gothi influerent. Proconsul romanus conatus est advenas numerare, sed hoc ei propter illorum numerum nimium non contigit. Diem de die pontones trans flumen vehebantur, et coaequalis Ammianus Marcellinus scribit: *ut Aetnaeae favillae*⁴.

1 orig. *Westgoten*. Ammianus Marcellinus, qui est testis praecipuus, eam gentem Gotonum occidentalem appellat *Theruingos* (AMM.31,3,4; 5,1;8), orientalem *Greuthungos* (AMM.27,5,6; 31,3,1; 5; 4,12; 5,3). At non ita certum est *Gotones* (sive *Gutones*) Taciti esse *Gothos* posteriores, neque certo scimus, num *Visigothi* exorti sint ex *Theruingis*, *Ostrogothi* ex *Greuthungis*. (*adn. interpretis*).

2 Huni, populus Asiaticus (AMM.31,2,1; 21; 3,1; 3; 6; 8; 8,4; 16,3).

3 Apud Ammianum Marcellinum iidem appellantur *Greuthungi* (cfr n.1).

4 cfr AMM.31,4,9 Per id tempus **nostri limitis reseratis obicibus atque ut Aetnaeas favillas armatorum agmina diffundente barbariâ**, cum difficiles necessitatum articuli correctores rei militaris poscerent aliquos claritudine gestarum rerum notissimos, quasi laevo quodam numine deligente in unum quaesiti potestatibus praefuere castrensibus homines maculosi, quibus Lupicinus antistabat et Maximus, alter per Thracias comes, dux alter exitiosus, ambo aemulae temeritatis.

Mox exorta est egestas ciborum. Mercatores romani postulabant nimia pretia; Ammianus scribit pro cane mortuo postulatum esse filium nobilium⁵. Gothi coeperunt diripere, facta sunt proelia minora. Copiae Gothorum exauctae sunt Germanis, quorum multi captivi laborarent in Romanorum fodinis metallicis. Qui se adiunxerunt compatriotis. Pugnae factae sunt, copiae limitaneae sunt devictae, imperator auxilio arcessitus est. Valens advēnit cum imperiali exercitu orientali. D.9. m. Aug. a.378 prope Hadrianopolin urbem, quae hodie a Turcis appellatur *Edirne*, factum est proelium. Exercitus romanus a Germanis concisus est, imperator cecidit. Theodosius eius successor a.382 coactus est, ut extraneis attribueret agros, ubi viverent iure proprio. Limes autem Danubii erat manebatque apertus. Iterum iterumque nova agmina in imperium invadebant. A.406 Rheni quoque limes non iam potuit servari. Migratio gentium non iam potuit sisti. Occupatio agrorum fieri non desita est usque ad a.568, quo in Italiam ingruerunt Langobardi.

Romanos non fuisse nationem ethnicam

Receptio Gothorum profugorum a.376 facta in civitate romanâ nihil fuit novi. Roma extraneis semper faverat. Scilicet traditum sit iam ipsum Aeneam auctorem gentis Troiâ ex urbe in Italiam immigrasse. Romulus cum urbem Romam conderet, in colle Palatino asylum constituit, quod frequentavit incolis cuiuslibet originis eosque fecit Romanos. Aetate historicâ, quae secuta est, Romanorum erat quemcumque hominem recipere aptum probumque. Talium hominum interfuit magna gens illustrissima Claudiorum, e qua postea quattuor caesares Romani sunt exorti. Unus ex iis, Claudius imperator, ad hanc rem provocans Gallis tribuit ius civile plenum.

Imperio romano dilatato factum est, ut Romani non essent natio ethnica, sed societas hominum iuridica, qui inter se coniuncti erant imperatore et exercitu et administratione et linguâ et cultu civili sublimato. Oeconomîâ efflorescente cupiditas barbarorum trans limites versantium, praesertim Germanorum, excitata est. Qui cum essent pauperes, multis liberis aucti, bellicosi, migrandi cupidi, petebant imperium romanum, cuius agris occupandis et praedâ capiendâ allicerentur. Primi Germani immigrantes a.100 a.Chr.n. Cimbri et Teutones, qui uxoribus filiisque comitantibus a mari germanico profecti aegrê potuerunt arceri.

Ex aetate Gaii Iulii Caesaris Romani Germanos advenientes considerabant animo ancipiti modo illos repellentes modo recipientes, istorum barbarorum e septentrione ingruentium numquam obliti. Caesar reppulit Ariovistum regem

⁵ cfr AMM.31,4,11 Cum traducti barbari victûs inopiâ uexarentur, turpe commercium duces inuisissimi cogitarunt et, quantos undique insatiabilitas colligere potuit **canes**, pro singulis dederant mancipiis, inter quae quidam ducti sunt **optimatum**.

Sueborum, qui in Galliam invaserat, sed conduxit equites Germanos, ut adiungeret copiis suis auxiliaribus. Augusto principe primum factum est, ut integrae gentes Germanorum reciperentur, velut gens Ubiorum, quam iussit recipere in regionem post Coloniam Agrippinam sitam. Imperatores usque ad Neronem habuerunt satellites Germanos, plures Germani facti sunt coloni, sub Tiberio quadraginta milia, sub Nerone centum milia facta esse feruntur. Hoc continuabatur. Advenae agris acceptis vivebant more agricolarum. Qui mercaturâ et stipendio faciendis discebant sermonem Latinum, cum Romanis provincialibus commiscebantur, colebant eosdem deos ac illi; quo factum est, ut eorum liberi ad mores accommodarentur. A.212 Constitutione Antoninianâ Germani coloni acceperunt ius Romanorum civile.

Germanos pugnasse contra Germanos

Germanis civibus faciendis impetus in limites factus est minor, sed non est finitus. Ab aetate Augusti usque ad Domitiani iterum iterumque fiebant invasiones. Consilium, quo Romani conati sunt Germaniam subigere usque ad Albin flumen, in irritum cecidit in Silvâ Teutoburgensi. A.80 p.Chr.n. Domitianus non potuit, quin limitem aedificaret militarem, ne invaderent extranei non custoditi. Tamen hoc non prorsus fieri poterat. Aetate Marci Aurelii denuo Germani coeperunt facere praedationes maiusque periculum imperio romano intulerunt eo, quod tertio saeculo gentes maiores Alamannorum et Francorum et Saxonum exortae limite perfracto Galliam Italiamque populabantur, cum regiones orientales a Gothis vastarentur, anno 251 vinceretur Decius imperator. Arte belli technicâ licet Romani semper Germanos superarent, tamen Germani stipendio romano facto romanorumque armorum usu illos aequaverunt. Quadamtenus Germani rem suam bellicam exauxerunt auxilio Romanorum (scilicet nolentium).

Romani conabantur difficultatem extraneorum causâ sibi allatam tollere ratione homoeopathicâ eo, quod more solito utebantur Germanis ad Germanos impugnandos. Hoc non erat difficile, nam mediâ quoque in Germaniâ, quandocumque controversiae fiebant gentium, semper pugnabant Germani contra Germanos. Lucrosus erat ûti militibus mercennariis. Itaque fieri poterat, ut provinciarum incolae, quibus militiam facere erat ingratisimum, se dederent agris colendis, et Germani, qui malebant sanguinem effundere quam sudorem, in exercitu militabantur et merebantur.

Cum numerus Germanorum militum mercennariorum etiam etiamque augesceret, fieri non poterat, quin bellatores Germani promoverentur ad munera altiora. Sub Constantino primi Germani facti sunt duces exercituum maiores. Tales duces Germani interdum connubia faciebant cum mulieribus Romanis, immo e domo caesarum oriundis. Ita exorta est aristocratia

militaris romano-germanica, quodammodo retificium coniunctionum genealogicum, quibus omnes homines imperium gubernantes aliquatenus inter se erant affines. Ultimo saeculo imperii universi summa imperii fuit penes Germanos, quales erant Merobaudes, Bauto, Stilicho, Ricimerus, Gundobadus. Imperatores, qui Ravennae, Romae, Constantinopoli habitabant in palatiis bene calefactis, ab exercitu seiungebantur ideoque a potestate. A.476 Odovacarus Germanus munere officarii Romani fungens ultimo imperatori occidentali dedit publici muneris vacationem.

Sublatum esse rei publicae monopolium ad arma pertinens

Licet sentias extraneos eo, quod cives facti essent, ita ad mores cultumque civilem accommodatos esse, ut per tria saecula factum erat. At quo plures Germani veniebant et quo altiora munera sunt adepti, eo difficilius hoc fiebat. Invidia exorta est. Simultates apparuerunt. Germani barbati longis braciis pellibusque induti non desiti sunt pro barbaris haberi, aspectu suo semper pro alienis habebantur eorumque confessio Ariana credebatur esse haeretica. Eo quod connubia mixta, vestitus alienus, fides falsa legibus sunt prohibita, cognoscimus, qualis fuerit affectus animorum. Scribebantur litterae, caedes atque homicidia fiebant ad Germanos supprimendos, sed Romani ab illis non iam defungebantur neque illis carere poterant, nam Germani fuerunt milites optimi. Gubernatores provinciis moderari non iam valuerunt, rei publicae monopolium armorum non iam potuit servari. Decreta sunt permulta, sed homines iisdem non iam sunt obsecuti, potestas executiva nihil iam effecit, grapheocratia nimis intricata est collapsa.

Saxones susceperunt Britanniam, Francones Galliam, Alamanni Germaniam superiorem. Italia occupata erat ab Ostrogothis, Hispania a Visigothis, Africa Borealis a Vandalis. In paeninsula Balcanica turbae fiunt, regio orientalis fidei causa vehementissimè pugnabatur. Cives provinciales, qui ubique essent numero valdè superiores, nullo modo apti erant ad rem publicam gerendam, longâ pace caesareâ consueti erant se ab aliis regi et obtegi. Nunc in angustias adducti praecipuè prospexerunt saluti animarum. Ecclesia supposita est in locum rei publicae, monasteriis servatae sunt reliquiae eruditionis. Oppida, quae incolebantur ab agrorum possessoribus, ad paupertatem sunt redacta. Cives cultum civilem servant evanuerunt – Germanorum enim magis intererat colere arma quam libros –, a bonis litteris iidem erant manseruntque alieni. Commeatus terrestris atque aquaticus non iam erat securus, commercium remotum, quod multum valebat ad prosperitatem, torpescebat. Percrebrescebat oeconomia naturalis. Aquaeductûs dilabebantur, balnea non iam poterant calefieri, viae et pontes non iam resarciri, trans Rhenum homines non vehebantur nisi pontonibus.

Ex longo tempore iam quaeritur, quare Romanorum cultus humanus civilisque uberrimus et subtilis non restiterit pauperibus barbaris propinquis. Legitur de morum depravatione, de Romanis luxuriâ lassatis, qui singuli peterent vitam dulcem, sed nihil haberent, quod opponerent catervis Germanorum vivacibus vegetisque, cum iidem necessitate coacti per limitem influebant. Immigrantes extranei, qui erant numero minore, ad mores accommodari poterant. Ubi primum iidem extranei quadam quantitate criticâ superiores congregati sunt suâ sponte apti ad agendum, vetus ordo potentium est sublatus.

De auctore.

Professor Dr. Alexander Demandt in Liberâ Universitate Berolinensi docuit historiam antiquam. Textus, quem supra Latinê reddidi, a redactore periodici, quod inscribitur „*Die politische Meinung*“, recusatur causâ his verbis allatâ: „Considerans cum alias tum illas res nocte Silvestri Coloniae Agrippinae factas intellexi fieri posse, ut textus historicus, quem a te temperanter nobis praeparatum accepimus grato animo, a lectoribus malevolis in contextu periodici nostri politici falso explicetur. Meâ quidem sententiâ periculum est, ne loci huius textûs e contextu extracti adhibeantur malâ fide, ut fingantur esse rebus ibi narratis cum nostrâ condicione hodiernâ similitudines nimis simplices, quae nobis nullo modo sint optabiles“. – Haec auctori scripta sunt a redactore principali periodici, quod êditur ab opere fundato Conradi Adenaueri, quo ipso auctori mandatum est, ut textum scriberet quoad crisis profugorum.

DE ROMANORUM VIRTUTIBUS

SCRIPSIT LEO LATINUS



BRUTUS CAPITOLINUS.

Caput aeneum ca. 275 a.Chr.n. confectum


INTRODUCTIO:

Causas magnitudinis et diuturnitatis Imperii Romani esse Romanorum virtutes

1. Virtus quid sit: huius notionis origo, significationes, personificatio (dea)**2. Virtutes Romanorum praestantissimae.****2.1 industria – parsimonia – prudentia**

CATO maior: „De agri cultura“

2.2 audacia et fortitudo**2.2.1 definitiones****2.2.2 exemplum: Horatius Cocles****2.2.3 praemia et incitamenta militum fortium****2.2.4 poenae militum ignavorum****2.2.4.1 fustuarium****2.2.4.2 decimatio****2.3 pietas****2.3.1 pietas intra familiam observanda****2.3.1.1 – liberorum erga parentes****2.3.1.2 – parentum erga liberos****2.3.1.3 – coniugum mutua****2.3.1.4 – erga maiores****2.3.2 pietas iuniorum erga seniores****2.3.3 pietas civis erga rem publicam****2.3.4 pietas hominum erga deos (religio)****2.4 iustitia****2.5 fides****2.6 clementia: Caesar – Octavianus – Tiberius - Titus****2.7 humanitas****3. Educatio moralis****3.1 Cursus honorum iuvenis Romani****3.2 Exemplum maiorum****3.3 Persona matris****3.3.1 mater Coriolani (Livius)****3.3.2 Cornelia, Aurelia, Atia (Tacitus, Dialogus de oratoribus)****3.4 Persona patris****3.4.1 Appius Claudius Caecus****3.4.2 patria potestas: Ius Romanorum paternum****3.4.3 educationem fieri exemplis proponendis****3.4.3.1 Plautus, Trinummus****3.4.3.2 Terentius, Adelphoe (Demea)****3.4.3.3 Horatius, Saturae****3.4.4 parsimonia paterna (Terentius, Heautimorumenos)****3.4.5 educationem fieri aut severitate aut indulgentiâ (Terentius)****3.4.6 pater educator et magister: Cato eiusque filius (Plutarchus)****3.4.7 protectio adulescentium Catoniana: amandatio philosophorum****3.4.8 Cicero scribit Marco filio „De officiis“: programma eruditionis****CONCLUSIO****Litterae adhibitae**



INTRODUCTIO

Causas magnitudinis et diuturnitatis Imperii Romani esse **virtutes Romanas**

Ut verbo *Helladis* imprimis admonemur humani cultûs civilis universalis, quod exemplum sit sempiternum, sic nomine *Romae* iuris et legum, civilis sapientiae praestantissimae, excellentium operum rei publicae et militaris, ingentis Imperii, quo Romani moderati sunt toti orbi terrarum illâ aetate cognito. Quantum spectat ad haec opera humana, Romani posteritati reliquerunt eximium patrimonium perenne. Ii autem, qui consideraverunt, quo modo exortum esset valuissetque *Imperium Romanum*, cuius pars occidentalis per unum, orientalis per duo millennia exstiterat, stupefacti iterum iterumque quaerebant, quibus de causis illud tantam magnitudinem assecutum sit.

Ad hanc quaestionem solvendam neque sufficiunt complures opportunitates historicae neque situs Romae opportunus. Nam certis quidem condicionibus in mundo antiquo fieri potuit, ut audaces expugnatores et gentes animosae et promptae constituerent regna potentia. Sed inter numerosa regna, quae ante Imperium Romanum valuerant, nullum fuit, quod illud aequaret magnitudine atque excellentiâ, nullum, quo prohiberetur aut – exceptâ Carthagine – quod vero impedimento esset, ne illud oreretur, nullum, quin denique in nomen illius concederet.

Caelo quidem est Roma satis miti: sita est mediâ in paeninsulâ medium in mare porrecta, quo aditus fiebat ad omnes terras illâ aetate cognitae: in Latii planitie fertili, loco, ubi **Tiberis** non solum attingeretur ipsis navibus magnis, sed etiam propinquus esset viae salis transportandi, quae in initio fuit magni momenti. Praeterea **Septem Colles** utiles erant ad defendendas colonias ibidem constitutas. Hactenus certè opportunum erat ibi urbem condere.

Sed situs aliarum urbium mediterranearum haud minus opportunus erat, aut, praesertim sub specie imperii mundani condendi, longè opportunior. Aliae enim terrae aptiores erant propter flumina altius pervadentia, meliores portus, obtegentes insulas praepositas. Sed Italia Apennino dividitur in complures regiones montosas illâ aetate haud bene accessibiles et nonnullas planities ad latus occidentale sitas, ut iam difficile fuerit Italiam mediam in unam civitatem redigere.

Oportet causas multo magis quaeramus illas, quas primum florente liberâ re publicâ **Polybius**¹ (ca. 200-120 a.Chr.n.) historicus Graecus, fuisse res domesticas inquam, civitatem Romanam, praeterea indolem populi Romani eiusdemque ordinem socialem pro certo habuit, id est, quaeramus, quales mores qualesve normas agendi societas Romana habuerit et quibus rationibus liberi a parentibus educati sint.


Hac in symbolâ ambabus quaestionibus respondere studebo. Agitur ergo de moribus Romanorum, id est de ethica Romanorum morali. Cuius notio gravissima est **virtus**.

Primo explicabo huius notionis originem et significationem. **Secundo** describam qualitates hominis, quae a Romanis habebantur pro virtutibus praestantissimis earumque exempla afferam mythica et historica. **Tertio** disquiram, quomodo liberi et adulescentes a Romanis his virtutibus imbuerentur. In hac re praecipuè considerabo personas matris et patris Romanas.

Symbola mea maximam partem spectat ad aetatem rei publicae Romanae priorem, in quâ Graeci nondum tantopere valuerunt ad educationem atque eruditionem Romanorum quam aetate rei publicae posterioris et aetate imperatorum. Tamen ad homines et condiciones sociales huius aetatis describendas interdum non possumus, quin utamur testimoniis aetatis *posterioris*, in quibus mores temporis *transacti* moribus contraponuntur coequalium corruptis ideoque saepe describuntur pulchrius quam verius. Sed in disquisitione nostrâ minus valet credibilitas singulorum exemplorum litteris traditorum, quae pertinent ad mores et educationem moralem rei publicae romanae prioris, sed maximè nostrâ interest cognoscere, illâ aetate **qualia fuerint morum praecepta praestantissima et exempla virtutis**, quae crederentur imitatione esse dignissima, et **quibus rationibus educationis atque eruditionis** Romani studuerint praecepta ad effectum adducere.

¹ <https://la.wikipedia.org/wiki/Polybius>: **POLYBIUS** (c. 203 a.C.n.– c.120 a.C.n.; Graecè Πολύβιος), rerum gestarum scriptor Graecus, scripsit opus "Historiae" appellatum quod ad annos 220 a.C.n.-146 a.C.n. pertinet. Etiam vero praeclarus est ille, propter suas notiones de aequilibrata politicâ in gubernatione administrandâ....“.

1. Notio virtutis



Ara Deae Virtutis, tertio saec. p.Chr.n.

Quae invenitur in Museo Romano-Germanico Coloniensi.

In lexico *Walde-Hofmanniano*² indicatur verbum, q.e. *virtus*, derivatum esse a verbo, q.e. *vir*, *viri m*. Altera pars verbi, quod est suffixum *-tus*, significat qualitates

² **Walde/Hofmann**, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, 5.Aufl., 2.Band (M-Z) S.796, s.v. *vir*, *viri* ‚Mann, Gatte‘: ‚*virtus*...‘Mannhaftigkeit, Tüchtigkeit, Tugend‘ (seit Cato und Cicero, rom.; vgl. *virtuosus*, -a, -um Augustinus).“

abstractas. Idem suffixum invenitur etiam in substantivis, q.s. *senec-tus* et *iuven-tus* et *servi-tus*³.

Quia *Thesaurus Linguae Latinae*, optimum omnium Lexicorum Latinitatis antiquae, nondum continet ea vocabula, quae incipiunt a litterâ „u/v“, utendum nobis est *Lexico Aegidii Forcellini*⁴, quod significationes *virtutis* indicat has quae sequuntur:

„**Virtus** est id quod hominis proprium est, vel summa omnium humanarum facultatum aut perfectionum: et dicitur etiam de quacumque hominis perfectione, tam corporis quam animi, sed praecipue animi, ἀρετή (It. virtù, forza, valore, capacità, proprietà; Fr. vertu, force, propriété, perfection; Hisp. virtud, capacidad, valor, propiedad; Germ. die Mannheit, Tüchtigkeit, Vorzüglichkeit, Tugend; Angl. virtue, force, power, efficacy).

I.) Proprie.

¶ 1. Generatim. — a) Abstractorum more. Cic. 5. Fin. 13. 38. Ita fiet, ut animi virtus corporis virtuti anteponatur. Sall. Jug. 6. Existumans Jugurthae virtutem gloriae regno suo fore. Cic. 4. Phil. 5. ad fin. Omnia alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus, quae numquam ulla vi labefactari potest, numquam demoveri loco. Id. 2. Orat. 27. 120. In quo oratoris illa vis divina virtusque cernitur. — b) Concreto, ut ajunt, sensu. Vulg. interpr. Eccli. 38. 33. Figulus ante pedes suos curvabit virtutem suam. h. e. corpus suum.

¶ 2. Speciatim est bona animi dispositio, quae rem, cui inest, in genere bonam perfectamve ejusque operationem excellentem reddit, virtù. Cic. 2. Tusc. 18. ad fin. Atqui vide, ne, quum omnes rectae animi affectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium, sed ab ea una, quae ceteris excellat, omnes nominatae sint. Appellata est enim a viro virtus: viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio. Cic. 2. Invent. 53. 159. **Virtus est animi habitus naturae modo rationi consentaneus.** ...

¶ 3. Hinc saepe accipitur pro fortitudine militari, et latius pro animi constantia in periculis et rebus adversis. — a) Abstractorum more. Caes. 1. B. G. 2. Perfacile esse, quum virtute omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri. Adde Horat. 4. Od. 15. 29. Virg. 2. AEn. 390. dolus an virtus, quis in hoste requirat? Ovid. 3. Trist. 11. 23. Subruere est arces et stantia moenia virtus. Nepos Reg. 2. Siculus Dionysius quum virtute tyrannidem sibi peperisset etc. — Macte, macti virtute, locutio ad animos addendos, bravo! bene! V. **MACTUS**. — b) Concreto, ut ajunt, sensu pro exercitu optime instructo. Vulg. interpr. 1. Mach. 1. 4. de Alexandro M. Congregavit virtutem. h. e. robur copiarum. Adde Ps. 32. 16. et 43. 10. — c) Item de Angelis, qui militia Dei sunt. Id. Ps. 148. 2. — d) Item virtutes dicitur unus ex choris Angelorum. Id. Rom. 8. 38. et 1. Petr. 3. 22. — e) Et virtus Dei est ipse Deus omnipotens. Id. Matth. 26. 64.

¶ 4. Item, in malam partem, est ferocia, feritas, fiera. Stat. 9. Theb. 4. quin te, Dixum implacidissime (quamquam Praecipuum tunc caedis opus, Gradive, furebas) Offensum virtute ferunt. Id. 11. ibid. 1. Postquam magnanimus furias virtutis iniquae Consumpsit Capaneus.

¶ 5. Nonnumquam pro merito seu praestantia. Plaut. Most. 1. 3. 17. Virtute formae id evenit, te ut deceat, quicquid habeas.

II.) Translate.

¶ 1. Per catachresim dicitur etiam de bestiis et de rebus quibuscumque pro ea vi, qua res, cujus est virtus, perfecta redditur, vel pro vi et facultate rei unicuique insita, virtù, valore, forza, proprietà. Cic. 1. Legg. 16. 45. Nam nec arboris nec equi virtus (in quo abutimur nomine) in opinione sita est,

³ Suffix -tus: Raphael Kühner/Friedrich Holzweissig, Ausführliche Grammatik der Lateinischen Sprache. Erster Teil: Elementar, Formen-, und Wortlehre. Darmstadt 1978, S.94, §222 Abgeleitete Substantive, 3. ... von substantivischen und adjektivischen Stämmen auf i und von adjektivischen Stämmen auf l, s: tus Gen. tutis, als: virtus, juvenus, senectus, servitus (von servus) und tempes-tus altlat. Von tempus (Varr. L.L. 7,51...)“

⁴ <http://lexica.linguax.com/forc2.php?searchedLG=virtus> i.e. Egidio Forcellini/Giuseppe Furlanetto, Lexicon Totius Latinitatis (Latino-Latinum), Padua 1775, ed. anastatica 1940, s.v.

sed in natura. *Cato R. R.* 1. Praedium solo bono, sua virtute valeat. *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 130. Sicuti merci pretium statui, pro virtute ut veneat. *Cic. Brut.* 17. 65. In Catonis orationibus omnes oratoriae virtutes reperientur. Sic *Quintil.* 4. 2. *ante med.* Sunt quidem hae, quas supra retuli, virtutes aliarum quoque partium (*orationis*). ...

¶ 2. *Metonymice pro opere virtutis seu potentiae et quidem divinae, miraculo, prodigio.* *Tertull. Praescr.* 29. *Tot virtutes, tot charismata perperam operata.*

¶ 3. *Item aliquando etiam accipitur pro ope, auxillo.* *Plaut. Mil. glor.* 3. 1. 81. *Deum virtute eundem hospitio accipiam.* — *Saepe apud Vulg. interpr. pro divino auxilio, gratia ac potentia Dei sumitur, ut Gal. 3. 5., Act. 1. 8. etc.* ¶ 4. *Item pro medicamento.* *Coel. Aurel. 3. Acut. 4. 47. Curare simplicibus virtutibus.* ¶ 5. *Item pro titulo honorario.* *Cod. Theod. 12. 13. 15. Ejus relatione tuis virtutibus intimata.* ¶ 6. *Virtus ab antiquis dea putata est, cui templum dedicavere. Virtutis autem templum cum aede Honoris conjunctum fuit, ita ut in hanc non nisi per illud pateret aditus. Quo significare voluerunt, veram unicamque parandi honoris viam esse virtutem.* *Cic. 2. Nat. D. 31. 79. Vides Virtutis templum, vides Honoris a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum. et ibid. 31. 79. Ob eamque causam majorum institutis Mens, Fides, Virtus, Concordia consecratae et publice dedicatae sunt. Adde Juvenal. 1. 115. et Liv. 27. 25. et 29. 11. sub fin. — Hinc Virtus, praecipue bellica, in nummis exhibetur tamquam mulier stans, dexterâ hastam tenens, sinistrâ parazonium et pede galeam calcans, ut in nummo M. Aurelii apud Eckhel D. N. V. T. 7. p. 46. — Sic Virtus et Felicitas in alio apud eumd. ibid. p. 436.*

¶ 7. *Improprie sumitur de signo picto Virtutis.* *Plin. 35. Hist. nat. 11. 40. (137). Aristolaus e severissimis pictoribus fuit, cujus sunt Virtus etc. Homonym. Differt plurimum virtus a probitate. Unde Ovidius probitatem in uxore agnoscit: at requirit virtutem, quia non auderet pro marito apud Augustum aut Liviam intercedere. Ita enim scribit 3. Pont. 1. 93. Nota tua est probitas testataque tempus in omne: Sit virtus etiam non probitate minor. Cic. 13. Fam. 28. Est in eo virtus et probitas et summum officium summaque observantia. Cf. Sall. Cat. 52. Virtus atque sapientia major in illis fuit. — Item differt a fortitudine; nam, ut docet Isid. 1. Diff. n. 570., virtus in animi vigore et habitu est, cujus pars fortitudo mentis. Quae ex quattuor virtutibus una est, licet et corporis robur fortitudo vocetur.“*

¶ 7. *Improprie sumitur de signo picto Virtutis.* *Plin. 35. Hist. nat. 11. 40. (137). Aristolaus e severissimis pictoribus fuit, cujus sunt Virtus etc. Homonym. Differt plurimum virtus a probitate. Unde Ovidius probitatem in uxore agnoscit: at requirit virtutem, quia non auderet pro marito apud Augustum aut Liviam intercedere. Ita enim scribit 3. Pont. 1. 93. Nota tua est probitas testataque tempus in omne: Sit virtus etiam non probitate minor. Cic. 13. Fam. 28. Est in eo virtus et probitas et summum officium summaque observantia. Cf. Sall. Cat. 52. Virtus atque sapientia major in illis fuit. — Item differt a fortitudine; nam, ut docet Isid. 1. Diff. n. 570., virtus in animi vigore et habitu est, cujus pars fortitudo mentis. Quae ex quattuor virtutibus una est, licet et corporis robur fortitudo vocetur.“*

Secundum etymologiam vis verbi originalis est „*proprietas viri typica, praesertim in rebus bellicis*“. Sed idem verbum iam in litteris Romanorum antiquissimis nobis traditis spectat ad morem laudabilem. Itaque in sarcophago **Cornelii Lucii Scipionis Barbati**, qui a.298 a.Chr.n. consul fuit, inscripta sunt verba haec quae sequuntur⁵:

**CORNELIVS LVCIVS SCIPIO BARBATUS GNAIVOD PATRE
PROGNATVS FORTIS VIR SAPIENSQUE QVOIVS FORMA VIRTVTEI PARISUMA
FVIT CONSOL CENSOR AIDILIS QVEI FUIT APVD VOS TAVRASIA CISAVNA
SAMNIO CEPIT SVBIGIT OMNE LOVCANA OPSIDESQUE ABDOVCIT**

5 **CIL I 2, 6.7 s.377**, v. Ernst Diehl, *Altlateinische Inschriften*, 5.Aufl., Berlin 1964, S.59, Nr.539. ebd. im Apparat: „CIL (=Corpus Inscriptionum Latinarum) I 2 6.7 s.377 VI 1284f. 31587f. „...aufgemalte und eingemeißelte inschriften des deckels und der platte des peperinsarkophags des consuls d. j. 298 v.Chr.“... cfr Eisenhut, RE-Art. virtus, Sp.901, Z.3 ff.: „Erinnert sei wieder an die Scipionen-Grabinschriften. Sie lassen erkennen, daß, wenn überhaupt, nicht einmal in erster Linie an kriegerische Tapferkeit gedacht ist, wenn von virtus (oder gar virtutes!) die Rede ist. Die Gesamtheit des ruhmbringenden (gloria spielt z.B. CIL I2 10 = Dess.4 die beherrschende Rolle) staatsmännischen Wirkens wird gepriesen.“

Ecce formae verborum priscae: **GNAIVOD** i.q. Gnaeo (abl.sg.); **QUOIUS** i.q. cuius; **VIRTUTEI** i.q. virtuti (dat.sg.); **PARISUMA** i.q. parissima (par, paris); **CONSOL** i.q. consul; **QUEI** i.q. qui; **SAMNIO** i.q. Samnium (acc.sg.); **LOVCANA** i.q. Lucaniam; **ABDOVCIT** i.q. abducit.



Vis virtutis originalis, quae spectat ad virum, numquam tota evanuit. Tamen verbum virtutis non solum valet qualitates extraordinarias alicuius viri, sed potest etiam spectare ad mulieres; hoc apparet loco sequenti:

FLOR.Epit.1.4(1.10.7) Sic quidem viri: ne qui sexus a laude cessaret, ecce et virginum virtus. Una ex opsidibus ... elapsa custodiam, Cloelia, per... flumen equitabat⁶

Sed hic usus verbi non est typicus, quia fortitudo non solet adscribi mulieribus.

Iam maturê notio virtutis est personificata et ad deam relata: Dea **Virtus** Romae colebatur unâ cum **Honore**⁷. Templum utriusque deitatis videtur fuisse illud, quod commemoratur a Cicerone (CIC.leg.II 58). Item Cimbris et Teutonibus devictis a Mario a.101 a.Chr.n. templum Virtutis et Honoris est constructum⁸. Augustus cultum

⁶ **FLORUS**: Lucius Annaeus aut Iulius Florus. Auctor Epitomae de Tito Livio (aut fortasse: Bella Romana, cfr Aug.civ.3,19), quae complectitur 2 libros; verimile est eum vixisse sub Hadriano (117-138 p.Chr.n.).

⁷ **Virtus et Honos**: cfr Eisenhut, RE-Art. Virtus, col.896, lin.52sq.: „Im Kult steht sie fast immer in Verbindung mit Honos.“

⁸ **templum Virtutis**: cfr Eisenhut, col.897, lin.36sq.: „Unmittelbar vor der Porta Collina stand nach CIC.leg.II 58 ein Tempel des Honos. In der Nähe des Standortes ist aber nicht nur eine Inschrift für Honos gefunden worden, sondern auch eine für Virtus. CIL VI 31061. Da Honos und Virtus im Kult meist beisammen stehen, vermutete Ch. Huelsen...entsprechend, daß diese Inschrift für Virtus zu dem genannten Tempel gehörte. Das wäre dann der älteste

Virtutis renovavit⁹. Hic cultus aetate imperatoriâ paulatim evanuit, sed semper sensu priscae aetatis romanae referebatur ad praestantiam militarem.

Definitio virtutis moralis iam invenitur apud *Lucilium*, poetam *Saturarum Romanum* (ca. 180-102 a.Chr.n.):

LUCIL.1328: Virtus est, homini scire id quod quaeque habeat res,/ virtus, scire, homini rectum, utile quid sit, honestum.¹⁰

Virtus est id quo vir est insignis, proprietas bona magni momenti. Quae sit proprietas, apparet ex contextu: Saepe hoc verbum adhibetur in contextu militari et concretê significat *audaciam*, *quae patefit in proelio* (in pugnis, quales e.g. describuntur in Caesaris *Bello Gallico* aut in *Aeneide Vergilianâ*). Ne obliviscamur bella fuisse illa aetate ferê cottidiana et Imperii Romani expansionem continuam fieri non potuisse nisi expugnationibus bellicis. In nummis et operibus ectypis *Virtus* apparet dea armis instructa (galeâ, hastâ etc.).

Aliis in contextibus virtus valet alia genera perfectionis sive excellentiae, pro munere, quod gerit vir: Cicero in oratione dicit Pompeium generaliter insignem esse *divinâ virtute*. Îdem orator deinde Pompeio adscribit quattuor qualitates extraordinarias: *scientiam rei militaris*, *virtutem*, *auctoritatem*, *felicitatem*. Tum virtutem, quam secundo loco commemoravit, compositam esse ex iis rebus, quae sequuntur:
- *labor*, - *fortitudo*, - *industria*, - *celeritas*, - *consilium*.

Virtus est ergo unâ ex parte *perfectio generalis*, alterâ ex parte est terminus maior, qui valet *qualitatem bonam* et contrarius est *vitio*, quod valet *qualitatem malam*.

Virtutes autem dicuntur qualitates quae sequuntur:

- *fortitudo*, - *prudentia*, - *labor*, - *pudor*, - *constantia*, - *moderatio*, - *integritas*.

Haec bona moralia potius sunt qualitates boni *viri politici* aut *ducis militaris*. Fabris autem et mercatoribus, quibus res prosperê succedebant, potius adscribebantur eae virtutes quae sequuntur: - *artificium*, - *negotiorum scientia*, - *in arithmetiis exercitatus*.

Virtutes autem mulierum typicae putabantur respondere personae muliebri, quae fuit uxor et domiseda et mater. Virtus mulieris praestantissima erat *pudicitia*, cuius genus optimum fuit mulier *univira*, quae marito mortuo malebat esse vidua quam uxor.

Lanificium, quod rectê fieri non potest nisi sollertiâ atque industriâ lanae tractandae, symbolum fuit *conservatricis*, id est probae uxoris et dominae domum prudenter

bekannte Tempel, in dem Virtus verehrt wurde (er ist wohl kaum älter als 3. Jhdt. v.Chr.)...“ ders., Sp.898, Sp.61f.: „Marius erbaute aus der cimbrischen und teutonischen Beute einen Tempel für Honos und Virtus (CIL XI 1831 = I2 S.195, nr.XVIII...)“

9 **Augustus**: Kult der Virtus (CASS.DIO 54,18)

10 **LUCILIUS**, „virtus-Fragment“: C. Lucilii carminum reliquiae, recensuit, enarravit Fridericus Marx, vol. prius Lipsiae 1904, p.91, v.1326-1338, ibid. v.1328sq.

dispensantis, quae praestat **obsequium erga maritum et castitatem et frugalitatem et fertilitatem necnon facilitatem.**

Ergo *Virtus* significat *bonam proprietatem magni momenti*, quae pendet a condicione et muneribus socialibus.

Cicero (106-43 a.Chr.n.) in opere suo, quod inscribitur „**De officiis**“, explicat Graecam quaternitatem virtutum cardinalium, quae sunt φρόνησις (prudentia) et σωφροσύνη (temperantia) et ἀνδρεία (fortitudo) et δικαιοσύνη (iustitia). Haec quaternitas recepta est a **Platone**¹¹. Hanc doctrinam Platoniam hōc loco nolumus tractare. Nam nunc agitur de iis virtutibus, quae in litteris antiquis describuntur Romanorum aetatis rei publicae prioris fuisse propriae atque genuinae.

2. Virtutes Romanorum typicae


2.1 industria – parsimonia – prudentia

Romani cum originaliter fuerint gens rustica, bona moralia eorum respondent indigentis vitae rusticae: **industria, parsimonia, prudentia**. Pro viro politico maximē exemplari habetur **Cincinnatus**, qui „*ab aratro*“ in summis angustiis rei publicae dictator factus (a.458 vC) exercitum adversarium devicit et iam die sexto decimo postquam accepit munus voluntariē deposuit et revertit ad agrum colendum¹². Quantopere a Romanis aestimatae sint virtutes rusticae, dilucidē nobis apparet **Catonis maioris** sive **ensorii** vitam et opus considerantibus, qui habetur pro exemplo optimo viri Romani summis virtutibus praediti. Eiusdem opus „**De agri culturā**“ inter annos 175 et 150 a.Chr.n. unā ex parte est scriptum, ut agricolae instituerentur, alterā ex parte, ut demonstraretur, quantum res rustica valeret ad populum Romanum recreandum atque corroborandum. Cato enim cum videat mores Romanorum incipere depravari, renovare vult magnitudinem Imperii Romani transactam. Itaque concivibus suis commendat, ut vitam agant similem suae propriae, id est vitam maiorum laboriosam et severam. Ergo Cato opere suo vult mores maiorum renovare¹³. Hoc clarē apparet ex prooemio:

11 **Kardinaltugenden**: cfr Olof Gigon, Art. Kardinaltugenden, in: dtv-Lexikon der Antike, op.mem., tpm.2, 2.ed., München 1970, p.312sq.: „Ob AISCHYL.sept.610 ein schon Aischylos geläufiges Schema (Selbstzucht, Gerechtigkeit, Tapferkeit, Frömmigkeit) vorträgt, ist umstritten. Das Schema Klugheit (Phronesis, prudentia), Selbstzucht (Sophrosyne, temperantia), Tapferkeit (andreia, fortitudo), Gerechtigkeit (Dikaiosyne, iustitia) mag noch dem 5.Jh. angehören, ist aber erst durch Platons Staat klassisch geworden und hat, soweit überhaupt schematisiert wird (Aristoteles in der nikomachischen Ethik verzichtet darauf), das gesamte Denken der Antike und des Mittelalters beherrscht...“

12 **Cincinnatus**: LIV.3,25sq. CIC.fin.2,12. CATO 56. cfr R. Werner, Art. Cincinnatus, in: dtv-Lexikon, op.mem., Geschichte, Bd.1, S.230f.): „L. Quinctius Cincinnatus (cos.suff. 460. dict.458, 439 v.Chr.). Angeblich 458 vom Pfluge geholt, zum Diktator ernannt, um das auf dem Algidus von den Äquern eingeschlossene Heer des Konsuls L. Minucius Esquilinus zu befreien. Cincinnatus zwang die Äquer zur Kapitulation, die ihr Lager und die Stadt Corbio ausliefern mußten, triumphierte und legte am 16.Tag nach der Ernennung die Diktatur nieder. 439 wurde Cincinnatus zum zweiten Male Diktator zur Unterdrückung der von Sp. Maelius verursachten Unruhen.“

13 **CATO agr.**: „restaurative Tendenz“: cfr Otto Schönberg, in: Marcus Porcius Cato. Vom Landbau, Fragmente. Alle erhaltenen Schriften. Lateinisch-deutsch. Hg.von Otto Schönberger. Darmstadt 1980, p.404.



CATO MAIOR (234-149 a.Chr.n.)

Praefatio (2) Et virum bonum quom laudabant (sc. maiores nostri), ita laudabant: bonum agricolam bonumque colonum: amplissimê laudari existimabatur qui ita laudabatur (3). Mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo, verum, ut supra dixi, periculosum et calamitosum (4). At ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur, maximêque pius quaestus stabilissimusque consequitur minimêque invidiosus, minimêque male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt.

Cato semper monet ut ager colatur cum parsimoniâ et industriâ et prudentiâ: omnia studia alia his virtutibus esse subicienda. Itaque etiam servi villae rusticae a Catone habentur pro rebus utensilibus et mercibus vendibilibus; hoc nobis videtur summâ vituperatione dignum, sed aetate Catonis a civibus Romanis generaliter comprobatur:

1,5...Videto quam minimi instrumenti sumptuosusque ager ne siet. Scito idem agrum quod hominem, quamvis quaestuosus siet, si sumptuosus erit, relinqui non multum.

3,7 Auctionem uti faciat: vendat oleum, si pretium habeat; vinum, frumentum, quod supersit, vendat; boves vetulos, armenta delicula, oves deliculas, lanam, pelles, plostrum vetus, ferramenta vetera, servum senem, servum morbosum, et si quid aliud supersit, vendat. Patrem familias vendacem, non emacem esse oportet.

Cato agricolam adhortatur, ne desinat laborare, ne ullus dies transigatur, quo agricola non laboret:

46,2 ...Per imbrem in villâ quaerito quid fieri possit. Ne cessetur, munditias facito. Cogitato, si nihil fiet, nihilo minus sumptum futurum.

Cato in hōc opere cum loquitur de *prudentiâ*, denominat scientiam agricolarum practicam¹⁴. Quia îdem auctor maximam vim attribuit utilitati practicae, recusabat scientiam theoreticam, praesertim aspernabatur Graecorum doctrinam rhetoricam atque philosophiam vaticinans Romanos rem suam publicam esse perdituros studiis Graecis repletos¹⁵. Cato Socratem appellabat blateronem tumultuosum, qui, quantum potuisset, se tyrannum patriae suae facere voluisset consuetudines veteres aboliturus et concives seduceret ad opiniones credendas, quae legibus essent contrariae¹⁶. Quod attinet ad artem oratoriam, Cato suasit: *Rem tene, verba sequentur*¹⁷.

At Cato nequaquam fuit ignorantîâ pertinaci. Qui bene noverat artem Graecorum rhetoricam et philosophiam, eius orationes insignes erant vestigiis doctrinae graecae¹⁸. Apud *Diomedem Grammaticum* in exercitatione declinandi dicitur pulchra illa sententia quae est: *Litterarum radices sunt amarae, fructûs iocundiores* a Catone dictum esse. His verbis Cato videtur dictum *Aristotelis* in Latinum convertisse¹⁹. Sed studium suum eruditionis eo abdidit, quod se praebuit Romanum virum frugi idque interdum verbis extulit vehementioribus, ut servaret dignitatem

14 **prudentiâ** „Sachverstand“: OLD s.v. prudentia 1: „Practical understanding...“ Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.Aufl., 2.Bd., Darmstadt 1976, Sp.2051, s.v. prudentia: „die genaue Kenntnis, Wissenschaft, z.B. iuris prudentia...“

15 **PLUT. Cato maior 23,2** Τὸν δε παῖδα διαβάλλον πρὸς τὰ Ἑλληνικά, φωνῇ κέρηται θρασυτέρα τοῦ γήρωσ, οἷον ἀποθεσπίζων καὶ προμαντεύων, ὡς ἀπολοῦσι Ρωμαῖοι τὰ πράγματα γραμμάτων Ἑλληνικῶν ἀναπληθύνεντες. i.e. (3) Et ad filium Graecas literas calumnians, voce quam pro senio usus est duriore, quippe vaticinans Romanos Graecis studiis repletos rem suam publicam esse perdituros.

16 **PLUT. Cato maior 23,1** ...ὃς γε καὶ Σωκράτη φησὶ λάλον καὶ βίαιον γενόμενον ἐπιχειρεῖν, τρόπῳ δυνατὸς ἦν τυραννεῖν τῆς πατρίδος, καταλύοντα τὰ ἔθη καὶ πρὸς ἐναντίας τοῖς νόμοις δόξας ἔλκοντα καὶ μεθιστάντα τοὺς πολίτας. i.e. Nam et Socratem loquacem et violentum fuisse dicit atque quovis modo ad tyrannidem contendisse, evertendis patriae moribus, civibusque in opiniones legibus contrarias pertrahendis.

17 **Rem tene verba sequentur**. CATO bei Iulius Victor 197 Or., vgl. Cato, Vom Landbau, ed. Schönberger, Darmstadt 1980. S.278.

18 **Quantum Graeca valuerint ad Catonem**: Dietmar Kienast, Cato der Zensor. Seine Persönlichkeit und seine Zeit. Heidelberg 1954, S.103f.: „Dabei beweisen Catos frühe Reden griechische Einflüsse, so etwa die Rede vor Numantia (195 vC), die Xenophons Zitat des Herakles am Scheidewege aus Prodikos arbeitet.“

19 cfr **ARISTOTELES ap. Diogenes Laertius V,18** Τῆς παιδείας ἔφη τὰς μὲν ρίζας εἶναι πικράς, τὸν δὲ καρπὸν γλυκύν. cfr <http://digiliblt.lett.unipmn.it/xtf/view?docId=dlt000145/> dlt 000145. Xml; query=;brand=default:

DIOMEDES Ars grammatica lib.I: .. de declinatione exercitationis chriarum. chriarum exercitatio in casus sic uariatur. nominatiuo casu numero singulari, **Marcus Porcius Cato dixit litterarum radices amaras esse, fructus iocundiores**; genetiuo casu, Marci Porcii Catonis dictum fertur litterarum radices amaras esse, fructus iocundiores; datiuo, Marco Porcio Catoni placuit dicere litterarum radices amaras esse, fructus iocundiores; accusatiuo, Marcum Porcium Catonem dixisse ferunt litterarum radices amaras esse, fructus iocundiores; uocatiuo, o tu Marce Porci Cato, ne tu egregie dixisti litterarum radices amaras esse, fructus dulciores; ablatiuo, a Marco Porcio Catone dictum accepimus litterarum radices amaras esse, fructus dulciores; nominatiuo plurali, Marci Porcii Catones dixerunt litterarum radices amaras esse, fructus dulciores; genetiuo, Marcorum Porcorum Catonum dictum fertur litterarum radices amaras esse, fructus dulciores; datiuo, Marcis Porciis Catonibus placuit dicere, id quoque; accusatiuo, Marcos Porcios Catones dixisse ferunt, id quoque; uocatiuo, o Marci Porcii Catones, ne uos egregie dixistis, id quoque; ablatiuo, a Marcis Porciis Catonibus dictum accepimus litterarum radices amaras esse, fructus dulciores. hoc quoque exemplo ceterae chriae declinationes subiciuntur.

nationis suae. Reverâ minimê recusavit cultum civilem Graecorum, sed monuit, ne Romani omnes res graecas indiscriminatim atque promiscuê sibi appropriarent, sed prudenter aptas res eligerent, ineptas respuerent. Noluit omnia Graeca caecâ cum cacozeliâ imitari, sed moderatê atque sapienter electa ad Romanas consuetudines accommodare²⁰.

Sed revertamur ad virtutem **prudētia**, quae apud Catonem imprimis valet peritiam rei. Cicero in opere suo, c.t. *De officiis*, notionem prudentiae nobilitat eo quod generaliter refert ad disciplinam moralem et distinguit a notione *malitia*:

CIC.off. III 71. Quocirca astutiae tollendae sunt eaque malitia, quae vult illa quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab eâ distatque plurimum; prudentia est enim locata in dilectu bonorum et malorum, malitia, si omnia, quae turpia sunt, mala sunt, mala bonis ponit ante.

2.2 audacia et fortitudo

2.2.1 definitio

Modo in praefatione operis Catoniani lêgimus agricolas esse milites fortissimos. Scilicet a gente militari, qualis fuerunt Romani, fortitudinem haberi pro virtute maximi momenti; eadem est etiam una ex verbi virtutis significationibus prioribus. Cicero autem hanc virtutem expressis verbis distinguit ab audaciâ temerariâ:

CIC.off.1,80sq. ...Fortis vero animi et constantia est non perturbari in rebus asperis nec tumultuantem de gradu deici, ut dicitur, sed praesenti animo ûti et consilio nec a ratione discedere, ...temere autem in acie versari et manu cum hoste configere immane quiddam et beluarum simile est: sed cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est et mors servituti turpitudinique anteponenda.

cfr Forcellini:

AUDĀCĪA, ae, f. 1. (audeo) animi securitas, qua quis malum neque futurum timet, neque praesens horrescit (It. *ardire, ardimento, audacia*; Fr. *audace, courage, hardiesse*; Hisp. *audacia, ardimiento*; Germ. *Kühnheit, Keckheit, Verwegenheit*; Angl. *boldness, courage, intrepidity, audacity*). ¶ 1. Interdum accipitur in bonam partem, et est fidentia vel animus ad omnia paratus. *Sall. Cat. 52. 17.* Majores nostri, P. C., neque consilii, neque audaciae unquam eguere. *Id. ibid. 52. 2.* Quanta cujusque animo audacia naturâ aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Adde *eumd. ibid. 9.* et *Jug. 94. Liv. 1. 12.* Et alia Romana acies audaciâ regis accensa fundit Sabinos. *Id. 25. 38.* Non enim frangere audaciam vestram, sed differre in majorem gloriam atque opportunitatem volui. Adde *eumd. 2. 10. Propert. 2. 8. 9.* Quod si deficient vires, audacia certe Laus erit: in magnis et voluisse, sat est. *Curt. 8. 11. 11.* Vir audaciae promptae conversus ad corporis custodes sequi se

²⁰ vgl. Kienast, op.mem., S.105f.: „Er wünscht keine blinde Nachahmung, sondern überlegte Aneignung.“ vgl. Schönberger, op.mem., S.411: „Cato hatte schon früh Griechisch gelernt, mindestens mit 30 Jahren (auct.vir.ill.47.1). ...Die Ansicht, dass Cato erst im Alter griechisch lernte, beruht auf einem Missverständnis der Worte Ciceros (Cato 26); Cato drang im Alter – das ist dort gemeint – verstärkt in die griechische Literatur ein... Cato hat als Römer die griechische Überlegenheit erkannt und versucht, etwas dem Griechischen Ebenbürtiges im Raum der lateinischen Literatur zu schaffen... Mommsen (Römische Geschichte 1,881) hat gezeigt, wie weit in Catos Zeit griechische Bildung in Rom verbreitet war, und Leos Capitel VIII führt das weiter aus. Cato stand also nicht allein mit seinem Streben nach literarischer Bildung. Freilich versteckte er seinen Eifer hinter dem Bild des alten Römers von echtem Schrot und Korn, schon um der nationalen Würde willen.“ vgl. Karl Büchner, Die römische Republik im römischen Staatsdenken. Freiburg 1947, S.16: „Die Römer hatten eine ungeheure Aufnahmefähigkeit und den Willen, von allen anderen zu lernen und es besser zu machen.“

jubet. *Tac.* 4. *Hist.* 49. Unam in audacia spem salutis. *Id. Agric.* 11. Audacia in deprecandis periculis. Adde *Justin. praefat.*, et 2. 9., et 12. *ad fin.* ¶ 2. Saepius in malam partem; et quidem - a) **Audacia est** temeritas, imprudentia, nimia licentia. *Cic. Deiot.* 8. 25. Vide quid licentiae, Caesar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciae.

FORTITŪDO, ĩnis, f. 3. robur corporis (It. *fortezza*; Fr. *force, puissance*; Hisp. *fuera, vigor, robustez*; Germ. *d. Kraft, Stärke, Festigkeit, Dauerhaftigkeit*; Angl. *fortitude*). I.) Proprie de corporis robore raro admodum occurrit. *Phaedr.* 4. 15. Fortitudo hircorum. *Hieronym. Ep.* 64. n. 10. Haec feminalia de bysso retorta ob fortitudinem solent contexi. *h. e.* quod Itali dicunt *consistenza*. II.) Translate de animo saepissime usurpatur, et est virtus animi, qua labores considerate suscipiuntur et dolores constanter perferuntur (Gr. *ἀνδρεία*), ut patet ex his definitionibus *Cic.* 2. *Invent.* 54. 163. **Fortitudo est** considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. *Id.* 4. *Tusc.* 24. 53. **Fortitudo est**, inquit Chrysippus, scientia rerum perferendarum, vel affectio animi in patiendo ac perferendo summae legi parens sine timore. Cf. *Gell.* 12. 5. *extr.* Ea vera et proba fortitudo est, quam majores nostri scientiam esse dixerunt rerum tolerandarum et non tolerandarum. Rursus *Cic.* 5. *Tusc.* 14. 41. **Fortitudo est** animi affectio quum in adeundo periculo et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu. *Id.* 3. *Off.* 33. 117. Fortitudo, quae est dolorum laborumque contemptio, *et paullo inferius*. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, quum tradunt rationem negligendae mortis perpetiendique doloris. *Id.* 3. *Herenn.* 2. 3. **Fortitudo est** rerum magnarum appetitio, et rerum humilium contemptio, et laboris cum utilitatis ratione perpessio. Adde *eumd.* 2. *ibid.* 25. 35. *Id.* 1. *Off.* 19. 62. Probe definitur a Stoicis fortitudo, quum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro aequitate. *Id.* 3. *ibid.* 27. 100. Magnitudinis animi et fortitudinis est, nihil extimescere, omnia humana despiciere, nihil quod homini accidere possit intolerandum putare. *Id.* 1. *de republ.* 2. Unde in laboribus et periculis fortitudo? *Id. pro leg. Manil.* 11. 29. Illae sunt solae virtutes imperatoriae, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo etc. *Id. Sext.* 40. 86. Hoc sentire prudentiae est; facere fortitudinis: et sentire vero et facere perfectae cumulataeque virtutis.

2.2.2 exemplum: Horatius Cocles



ECCE HORATIUS COCLES
DEFENDIT PONTEM SUBLICIUM

Exemplo summae audaciae atque fortitudinis Romanis erat **Publius Horatius Cocles**. Qui miles in claritudinem pervēnit eo quod pontem sublicium summâ cum audaciâ et

fortitudine defendit contra exercitum Clusinum. Testes huius narrationis praecipui sunt Polybius (Historiae 6,55) et Livius (Ab urbe condita 2,10-13). Anno 508 a.Chr.n. Porsenna rex Clusinus ad regnum Tarquiniolorum restituendum cum infesto exercitu Romam aggressus primo impetu Ianiculum capit. Numquam alias ante tantus terror Romanos invasit: ex agris in urbem demigrant; urbem ipsam saepiunt praesidiis.

Cum alia urbis pars muris circumdata sit, alia Tiberi obiecto tuta videtur. Sed Pons sublicius paene hostibus dedit, nisi unus vir fuisset Horatius Cocles. Is pro ponte stat, et aciem hostium solus sustinet, donec pons a tergo interrumpatur. Tum ipsâ audaciâ obstupefacit hostes: Precatur deum fluminis his verbis: "*Tiberine pater, te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio flumine accipias.*" Ponte rescisso, armatus in Tiberim desilit et incolumis ad suos transnat. Grata erga tantam *virtutem* civitas est; Horatio tantum agri datur, quantum uno die circumarari potest. Statua quoque ei in comitio ponitur.

2.2.3 Praemia et incitamenta audaciae et fortitudinis

Polybius, Historiae VI 39,1-11²¹ (versio Latina, ed. Didotiana Graeco-Latina a.1859)

Praeclarê vero etiam iuventutem ad pericula subeunda excitant. (2) Nam ubi proelium aliquod est commissum, ac iuvenes aliqui fortiter se gesserunt, imperator advocato in contionem exercitu, productos prope se eos, quorum prae ceteris virtus insignis exstitit, primum quidem singulos laudat a fortitudine, et si quid aliud in eorum vitâ fuerit, quod commemorari cum ipsorum laude queat: (3) deinde ei, qui hostem vulneraverit, hastam donat: qui prostraverit et spolia detraxerit, pediti quidem pateram, equiti vero phaleras: quamquam olim hasta sola praemium erat. (4) Ceterum ista consequitur, non qui in iusto proelio signis collatis dimicans, aut in capienda urbe, aliquos hostes sauciaverit vel spoliaverit; verum qui in velitationibus cum hoste, aut aliis eiusmodi occasionibus, ubi nulla necessitas dimicare viritum cogit, ipsi suamet sponte ac propria voluntate eo descenderint. (5) At quotiens urbs capitur, auream iis coronam, qui primi muros conscenderint, donat. (6) Similiter vero etiam eos, qui vel cives vel socios propugnaverint et servaverint, imperator donis insignit: et, qui servati fuerunt, solent ultro, sin minus, tribuno post causae cognitionem cogente, servatorem suum coronare. (7) Atque adeo per omnem vitam is, qui servatus est, illum pro parente colit, omniaque ei tenetur praestare, quae filius patri. (8) Huiusmodi autem stimulatione non eos

21 originaliter: *καλῶς δὲ καὶ τοὺς νέους ἐκκαλοῦνται πρὸς τὸ κινδυνεύειν. [2] ἐπειδὴν γὰρ γένηται τις χρεία καὶ τινες αὐτῶν ἀνδραγαθήσωσι, συναγαγὼν ὁ στρατηγὸς ἐκκλησίαν τοῦ στρατοπέδου, καὶ παραστησάμενος τοὺς δόξαντας τι πεπραχέναι διαφέρειν, πρῶτον μὲν ἐγκώμιον ὑπὲρ ἐκάστου λέγει περὶ τε τῆς ἀνδραγαθίας, κἄν τι κατὰ τὸν βίον αὐτοῖς ἄλλο συνυπάρχη τῆς ἐπ' ἀγαθῷ μνήμης ἔξῃον, [3] μετὰ δὲ ταῦτα τῷ μὲν τρώσαντι πολέμιον γαῖσον δωρεῖται, τῷ δὲ καταβαλόντι καὶ σκυλεύσαντι, τῷ μὲν πεζῷ φιάλην, τῷ δ' ἵππεϊ φάλαρ', ἐξ ἀρχῆς δὲ γαῖσον μόνον. [4] τυγχάνει δὲ τούτων οὐκ ἔάν ἐν παρατάξει τις ἢ πόλεως καταλήψει τρώση τινὰς ἢ σκυλεύση τῶν πολεμίων, ἀλλ' ἔάν ἐν ἀκροβολισμοῖς ἢ πῖσιν ἄλλοις τοιούτοις καιροῖς, ἐν οἷς μηδεμίᾳ ἀνάγκῃ οὔσης κατ' ἄνδρα κινδυνεύειν αὐτοῖς τινες ἐκουσίως καὶ κατὰ προαίρεσιν αὐτοὺς εἰς τοῦτο δίδωσι. [5] τοῖς δὲ πόλεως καταλαμβάνομένης πρῶτοις ἐπὶ τὸ τεῖχος ἀναβᾶσι χρυσὸν δίδωσι στέφανον. [6] ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ὑπερασπίσαντας καὶ σώσαντας τινὰς τῶν πολιτῶν ἢ συμμάχων ὃ τε στρατηγὸς ἐπισημαίνεται δώροις, οἳ τε χιλιάρχοι τοὺς σωθέντας, ἐάν μὲν ἐκόντες ποιήσωσιν, εἰ δὲ μή, κρίναντες συναναγκάζουσι τὸν σώσαντα στεφανοῦν. [7] σέβεται δὲ τοῦτον καὶ παρ' ὅλον τὸν βίον ὁ σωθεὶς ὡς πατέρα, καὶ πάντα δεῖ τούτῳ ποιεῖν αὐτὸν ὡς τῷ γονεῖ. [8] ἐκ δὲ τῆς τοιαύτης παρορμήσεως οὐ μόνον τοὺς ἀκούοντας καὶ παρόντας ἐκκαλοῦνται πρὸς τὴν ἐν τοῖς κινδύνοις ἀμίλλαν καὶ ζῆλον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐν οἴκῳ μένοντας: [9] οἳ γὰρ τυχόντες τῶν τοιούτων δωρεῶν χωρὶς τῆς ἐν τοῖς στρατοπέδοις εὐκλείας καὶ τῆς ἐν οἴκῳ παραχρῆμα φήμης καὶ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τὴν εἰς τὴν πατρίδα τὰς τε πομπὰς ἐπισημῶς πομπεύουσι διὰ τὸ μόνους ἐξείναι περιτίθεσθαι κόσμον τοῖς ὑπὸ τῶν στρατηγῶν ἐπ' ἀνδραγαθία τιμημένοις, [10] ἐν τε ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασιν τὰ σκῦλα, σημεῖα ποιούμενοι καὶ μαρτύρια τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς. [11] τοιαύτης δ' ἐπιμελείας οὔσης καὶ σπουδῆς περὶ τε τὰς τιμὰς καὶ τιμωρίας τὰς ἐν τοῖς στρατοπέδοις, εἰκότως καὶ τὰ τέλη τῶν πολεμικῶν πράξεων ἐπιτυχῆ καὶ λαμπρὰ γίνεται δι' αὐτῶν.*

tantum, qui praesentes audiunt, ad pericula certatim et cum aemulatione adeunda excitant, sed eos etiam, qui sunt domi. (9) Nam qui donis hoc genus sunt donati, praeter gloriam, qua fruuntur in castris, et famam quam domi statim consequuntur, hoc amplius, reversi in patriam, solemnes pompas honorum insignibus conspicui celebrant: Nam eiusmodi ornamenta gestare solis licet iis, qui virtutis causa ab imperatore fuerint iisdem honestati. (10) Tum vero in maxime conspicuis aedium suarum locis spolia hostibus detracta defigunt, ut sint monumenta ac testimonia suae virtutis. (11) Qui igitur et poenas et praemia militaria tanta cura ac studio dispensent, merito, quoties bella suscipiunt, laeto atque illustri fine ea terminant.

2.2.4 Ignavi quomodo puniantur

2.2.4.1 Fustuarium²²



POLYBIUS, Historiae VI 37,10²³ ...Ignaviae vero et probro militari vertunt huiusmodi delicta: Si qui, praemii adipiscendi causa, falso strenuum aliquod facinus suum ad tribunos retulerint: (11) similiter, si qui, in statione constituti, locum ubi locati fuerant, formidinis ergo, deseruerint: itemque, si quis in ipso proelio armorum aliquam partem metu abiecerit. (12) Propterea nonnulli in stationibus suis manifestam mortem oppetunt, ab hostibus oppressi qui multis partibus sint plures; dum, usitatum apud illos supplicium metuentes, assignatum sibi locum deserere nolunt: (13) Quidam vero, excusso inter dimicandum scuto, aut ense, aut alia parte armorum, temere coniciunt ipsi sese in hostes, sperantes, aut recepturos se ea quae amiserant aut, si quid evenerit secius, certam ignominiam et contumeliam, a suis imminentem, evitatuos.

22 cfr https://www.rerumromanarum.com/2019/12/fustuarium_22.html, „An important mention is the fact - typical of many Roman corporal punishment - that **the condemned to the fustuarium was stripped naked**: unlike Ancient Greece, in Ancient Rome clothing was a distinctive sign of one's social status. Being naked was a form of humiliation because it deprived the condemned of his status, which is why it often occurred in military punishment.“

23 **POLYBIUS, Historiae VI 37,10** [εις δ' ἀνανδρίαν τιθέασι καὶ στρατιωτικὴν αἰσχύνην τὰ τοιαῦτα τῶν ἐγκλημάτων, ἐάν τινες ψευδῆ περὶ αὐτῶν ἀνδραγαθίαν ἀπαγγείλωσι τοῖς χιλιάρχοις ἕνεκεν τοῦ τιμᾶς λαβεῖν](#), [11] [ὁμοίως ἂν τινες εἰς ἐφεδρείαν ταχθέντες φόβου χάριν λίπωσι τὸν δοθέντα τόπον, παραπλησίως ἐάν τις ἀπορρίψη τι τῶν ὀπλῶν κατ' αὐτὸν τὸν κίνδυνον διὰ φόβον](#). [12] [διὸ καὶ τινες μὲν ἐν ταῖς ἐφεδρείαις προδήλως ἀπόλλυνται, πολλαπλασίων αὐτοῖς ἐπιγινόμενων οὐ θέλοντες λιπεῖν τὴν τάξιν, δεδιότες τὴν οἰκείαν τιμωρίαν](#): [13] [ἔνιοι δὲ κατ' αὐτὸν τὸν κίνδυνον ἐκβαλόντες θυρεὸν ἢ μάχαιραν ἢ τι τῶν ἄλλων ὀπλῶν παραλόγως ρίπτουσιν ἑαυτοὺς εἰς τοὺς πολεμίους, ἢ κυριεύειν ἐλπίζοντες ὧν ἀπέβαλον ἢ παθόντες τι τὴν πρόδηλον αἰσχύνην διαφεύξεσθαι καὶ τὴν τῶν οἰκείων ὕβριν](#).

POLYBIUS, Historiae VI 37,2-4²⁴ Est autem fustuarii supplicium huius modi: Tribunus fustem capit; eoque condemnatum quasi attingit tantum. (3) Quo facto omnes legionarii qua fustibus qua saxis petentes sontem, inibi intra castra ut plurimum necant. Sed et si qui evaserint, non tamen salvi propterea sunt. (4) Nam quae illis salus? Quibus in patriam quidem redire non licet, et quos necessariorum nemo ausit tecto recipere. Quamobrem qui semel in eam calamitatem inciderunt, planissimê pereunt. (5) Idem vero supplicium manet tam coactorem agminis, quam turmae praefectum, si ille circuitoribus, hic sequentis turmae decurioni, id, quod oportebat, in tempore non denuntiavit. (6) Quare cum adeo vehementer et sine spe veniae delicta haec puniantur, disciplina nocturnarum excubiarum inoffenso tenore servatur. (7) Tenentur autem milites quidem tribunis parere, tribuni vero rursus consulibus. (8) Habet autem tribunus potestatem et multae dicendae, et pignoris capiendi, et virgis caedendi: idemque ius est praefectis in socios. (9) Iustê autem percutitur etiam is, qui aliquid e castris fuerit furatus; item qui falsum testimonium dixerit; nec non *si quis in flore aetatis male usus corpore fuerit deprehensus*²⁵: ad haec is, cui ter eandem ob causam multa fuerit irrogata.

2.2.4.2 Decimatio



ECCE DECIMATIO.

Rasio a Vilelmo Hogarth confecta. In opere de Poenis Romanorum Militaribus a.1725 scriptum auctore Beaver.

²⁴ POLYBIUS, *Historiae VI 37,2-4* τὸ δὲ τῆς ζυλοκοπίας ἐστὶ τοιοῦτον. λαβὼν ξύλον ὁ χιλίαρχος τούτῳ τοῦ κατακριθέντος οἶον ἤψατο μόνον, [3] οὗ γενομένου πάντες οἱ τοῦ στρατοπέδου τύπτοντες τοῖς ξύλοις καὶ τοῖς λίθοις τοὺς μὲν πλείστους ἐν αὐτῇ τῇ στρατοπεδείᾳ καταβάλλουσι, [4] τοῖς δ' ἐκπεσεῖν δυναμένοις οὐδ' ὡς ὑπάρχει σωτηρία: πῶς γάρ; οἷς οὐτ' εἰς τὴν πατρίδα τὴν ἑαυτῶν ἐπανελθεῖν ἔξεστιν οὔτε τῶν ἀναγκαίων οὐδεὶς ἂν οἰκία τολμήσει δέξασθαι τὸν τοιοῦτον. διὸ τελείως οἱ περιπεσόντες ἅπαξ τοιαύτη συμφορὰ καταφθεύονται.

²⁵ cfr https://www.rerumromanarum.com/2019/12/fustuarium_22.html

„The Greek historian Polybius also reports that it was sometimes used against homosexuals. In Ancient Rome, in fact, homosexuality was generally accepted, but **only in active form was it considered compatible with masculinity. In the army, a passive sexual act for a man was assimilated to defeat** (rape against defeated soldiers was a practice of which there are several evidences as a form of post-war humiliation), and practicing it was seen as something that could make it vulnerable the body of a soldier: whoever had consented to such acts, therefore risked incurring a punishment.“

Decimatio vel decumatio est supplicium militare, quo decimus quisque miles supplicio afficitur ab imperatore, sorte ducta, cui contingat. ...
Eius usus describitur apud Polybium (Historiae VI 38)²⁶:

Si quando autem delicta eadem a pluribus contingat admitti, et manipuli universi hoste gravius urgente cesserint loco, ut omnes fuste percutiant aut necent, non est moris illorum; sed remedium ei rei invenerunt utile iuxta ac terribile. (2) Tribunus [ni potius Imperator] enim, advocata concione, desertores in medium producit eosque atroci oratione increpat: quâ finitâ, modo quinque sortitur, modo octo, modo viginti; atque, ut verbo complectar, id semper agit ut pro numero noxiorum, decimus quisque semper eorum capiatur. (3) Hos, inquam, ex omnibus qui ignavê se gesserunt, arbitrio sortis seligit: et, qui designati sorte sunt, eos inexorabiliter sorte damnatos fustuarii supplicio, quod ante descripsimus, afficit: reliquis hordeum pro tritico admetitur, et extra castra et munitionem castrorum tendere eos iubet. (4) Atque ita, cum periculum et metus sortis ex aequo omnibus impendeat (quandoquidem nemo scit, in quem ea sit causa), ignominiosa autem notatio et hordei dimensio pro tritico ad omnes pariter pertineat, hoc instituto, quam maximê poterat fieri, consultum est utique rei, ut et terror iniciatur, et acceptum detrimentum sarciretur.

2.3 Fides



nummus romanus (ca. a.105–117 p.Chr.n.),
pars adversa: Pompeia Plotina
pars postica: Fides cum spicis atque canistro.

Fides fuit dea Romanorum iuris iurandi. Traditur *Numa* (cfr VARRO ling.5,74) cultum Fidei introduxisse, qui fuit valdê priscus: Tres *Flamines maiores* se conferebant ad currum obtectum, qui stabat prope sacellum suum et obtegebant manûs dextras usque ad digitos, ut deae sacrificarent (LIV.1,21,4; SERV.Aen.1,292 et 8,636). Circa medium saeculum tertium a.Chr.n. aedificatum est templum Fidei iuxta templum Iovis Capitolini (renovatum est primo saec. a.Chr.n., cfr CIC.nat.deor.2,61). Haec dea saepe apparet in monetis. Quia fuit **vas sive sponstrix iuris iurandi et foederis**, dea Fides et in vitâ publicâ et in privatâ Romanorum necnon in relationibus quas iidem habuerunt ad alios populos, maximê valuit, praesertim cum ipsi Romani rem politicam suam expressis verbis referrent ad rationes Fidei.

²⁶ Polybius, *Historiae VI 38* [ἐὰν δὲ ποτε ταῦτα ταῦτα περὶ πλείους συμβῆ γενέσθαι καὶ σημαίας τινὰς ὀλοσχερῶς πιεσθείσας λιπεῖν τοὺς τόπους, τὸ μὲν ἅπαντας ξυλοκοπεῖν ἢ φονεῦειν ἀποδοκιμάζουσι, λύσιν δὲ τοῦ πράγματος εὐρίσκονται συμφέρουσαν ἅμα καὶ καταπληκτικὴν. \[2\] συναθροίσας γὰρ τὸ στρατόπεδον ὁ χιλιάρχος καὶ προαγαγὼν εἰς μέσον τοὺς λελοιπότας, κατηγορεῖ πικρῶς, καὶ τὸ τέλος ποτὲ μὲν πέντε, ποτὲ δ' ὀκτώ, ποτὲ δ' εἴκοσι, τὸ δ' ὅλον πρὸς τὸ πλῆθος αἰεὶ στοχαζόμενος, ὥστε δέκατον μάλιστα γίνεσθαι τῶν ἡμαρτηκότων, τοσοῦτους ἐκ πάντων κληροῦται τῶν ἀποδεδειλιακότων. \[3\] καὶ τοὺς μὲν λαχόντας ξυλοκοπεῖ κατὰ τὸν ἄρτι ρηθέντα λόγον ἀπαραιτήτως, τοῖς δὲ λοιποῖς τὸ μέτρημα κριθᾶς δὸς ἀντὶ πυρῶν ἔξω κελεύει τοῦ χάρακος καὶ τῆς ἀσφαλείας ποιείσθαι τὴν παρεμβολήν. \[4\] λοιπὸν τοῦ μὲν κινδύνου καὶ φόβου τοῦ κατὰ τὸν κλῆρον ἐπ' ἴσον ἐπικρεμαμένου πάσιν, ὡς ἂν ἀδήλου τοῦ συμπτώματος ὑπάρχοντος, τοῦ δὲ παραδειγματισμοῦ τοῦ κατὰ τὴν κριθοφαγίαν ὁμοίως συμβαίνοντος περὶ πάντας, τὸ δυνατόν ἐκ τῶν ἐθισμῶν εἴληπται καὶ πρὸς κατάπληξιν καὶ διόρθωσιν τῶν συμπτωμάτων.](#)

In religione Romanorum **Fides** fuit personificatio confidentiae et fidelitatis et iuris iurandi. Quae colebatur etiam sub nomine **Fidei Publicae Populi Romani**. Eidem deae a.254 a.Chr.n. Romae a consule **Aulo Atilio Caiatino** dedicatum est templum, quod situm erat in Capitolio prope templum Iovis. Hôc loco Senatus Romanus foederibus cum aliis civitatibus pactis subscripsit eademque servavit et mandavit tutelae deae Fidei. Haec dea exhibetur mulier iuvenis, quae ramo olivae coronata est, gerit velamen stolamve, manibus tenet cornu copiae et lancem et spicas aut canistrum aut vexillum militare. Eius sacerdotes gerebant vestimenta candida, quo demonstrarent se coniunctos esse cum deis caelestibus supremis, cum **Iove** et **Dio Fidio**. Traditur **Numa Pompilius** alter rex Romae in honorem Fidei condidisse sollemnia annua et id edixisse, ut flamines maiores curru oblecto et arcuato, qui traheretur duobus equis, ad templum veherentur ibique ut capite et manibus usque ad digitos obvolutis regerent sacrificia Fidei eidemque praestarent obnoxietatem absolutam et confidentiam (Titus Livius, *Ab urbe condita* 1, 21). - Huic deae romanae respondet graeca Πίστις.

Fides est bonum morale, quod positum est in ratione mutuâ fidelitatis et confidentiae, quae valet inter duo individua aut greges aut integros populos. Talis autem ratio saepe eo est insignis, quod una pars est maioris potestatis et opulentiae, ut alteram adiuvare et protegere possit.

Ex priscâ aetate Romae idea fidei in vitâ sociali maximê valet – praecipuê in *clientelis*. *Clientis* consors infirmior se subicit tutelae consortis sui ratione sociali et oeconomicâ praevalentis, qui appellatur *patronus*, id est *in fidem se dat* patroni. Is autem clientem *in fidem suscipit* ideoque exspectat auxilium eius in rebus politicis, e.g. in suffragiis ferendis. Hôc officio fidelitatis utraque pars obligatur insolubiliter et potest heredio transferri ad proximam generationem. Si qui patronus promissum suum fidelitatis violavit, eius *auctoritas* et *dignitas* deminuuntur.

Talis pactio Fidei constitutâ etiam intercessit inter populum Romanum et socios eius aut legatos peregrinos. Idea fidei inviolabilis etiam valet ad personas privatas eiusdem ordinis et similis est mutuae obligationi ad confidentiam et credibilitatem et fidelitatem iure iurando confirmandas. Sed etiam modus agendi singuli hominis potest hac virtute insignis esse eo quod aliquis promissum suum aut ius suum iurandum fideliter servat omnibus sub circumstantiis.

Exemplo fidei optimê servatae est **Regulus** in primo bello Punico imperator Romanorum, qui a Poenis captus iussus est mediator Romae curare bellum finiendum. At îdem vir in senatu Romanos adhortatus est, ut pugnam continuarent. Fidem servans Carthaginem revertit ibique necatus est.

2.4 Pietas

Alia virtus genuinê romana est **pietas**, id est expletio officiorum erga familiam et rem publicam necnon deos. Aetate caesarianâ in monetis atque monumentis praedicatur **Pietas Augusta**, id est reverentia et obligatio imperatoris erga deos et fides erga gentem. Nonnulli Romani honorantur cognomine, q.e. *Pius*, sed clarissimê atque purissimê virtus pietatis celebratur a Vergilio **Pium Aeneam** describente. Qui poeta

Aeneam agentem inducit **virum et virtute et pietate insignem**, id est heroem fortissimum et officiorum maximê conscius et fidelissimum²⁷.

Sed nunc veniamus ad genus pietatis originalem, id est caritatem officiique expletionem erga familiam, primo ad pietatem liberorum erga parentes.

2.4.1.1 Pietas liberorum erga parentes

Pietas iam maturê personificata et deificata. Iam a.181 a.Chr.n. Romae in *foro holitorio* templum aedificatum est **Pietatis**²⁸. Mythus, quo praedicatur amor filiae erga matrem, refertur ad hoc templum: filiam puerperam eo impedivisse, ne mater in carcere fame periret, quod eam mammis suis lactaret – eo loco ipso, ubi postea templum sit aedificatum²⁹. Alterum templum, quod quando aedificatum sit nescimus, **Pietas** habuit prope *Circum Flaminium* situm. Ex rei publicae saeculo ultimo eadem dea saepe exhibetur in monetis, interdum eandem comitatur *ciconia*, quod animal est symbolum amoris, quo liberi parentum commodum proprio anteferunt³⁰.

Reverentia erga parentes et oboedientia liberorum habebantur pro officiis per se intellegibilibus. Etiam aetate caesarianâ *Seneca* nobis affirmat nullum filium esse laudabiliorem quam eum, cui dicere liceat:

SEN. benef.III 38,2 Parentibus meis parui, cessi imperio eorum, sive aequum sive iniquum ac durum fuit, obsequentem submissumque me praebui; ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer.

Hic erat flos *pietatis romanae*, quâ imbutae erant mentes filiorum filiarumque rei publicae romanae prioris.

2.4.1.2 Pietas parentum erga liberos

Notio pietatis posita est in ratione mutuae obligationis. Romani credebant etiam parentes officio obligatos esse erga liberos suos: Hoc sentit Cato dicens eum virum sacrum violare, qui mulcet uxorem aut filium filiamve. *Iuvenalis*³¹ scribit (postquam laudavit educationem romanae aetatis prioris): **Maxima debetur puero reverentia.**

27 cfr **Otto Leggewie, Die Welt der Griechen und der Römer**, Münster 1968. Ceterum apud Vergilium verbum virtutis numquam personificatur et semper significat fortitudinem, cfr Eisenhut, RE-Art., col.902, lin.40sq.

28 v. **H. Le Bonniec, Art. Pietas**, in: DTV-Lexikon der Antike, Religion/ Mythologie, tom.2, p.164.

29 **mythus Pietatis**: FEST.228 L. VAL.MAX. 5,4,7. PLIN.nat.7,121 Pietatis exempla infinita quidem toto orbe exstiterunt, sed Romae unum, cui comparari cuncta non possint. Humilis in plebe et ideo ignobilis puerpera, supplicii causâ carcere inclusâ matre cum impetrasset aditum; a ianitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. Quo miraculo matris salus donata pietati est, ambaeque perpetuis alimentis; et locus ille eidem consecratus deae, C. Quinctio M^o. Acilio cos. Templo Pietatis exstructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est.

30 **symbolum pietatis: ciconia**. cfr Le Bonniec, op.mem.

31 **IUV. 14,47** Maxima debetur puero reverentia, si quid/ turpe paras, nec tu pueri contempseris annos/ sed peccaturo obstet tibi filius infans.

Quibus verbis poeta effert, in liberis educandis quantum valeat bonum exemplum et quantum noceat male se gerere coram infantibus³².

2.4.1.3 Pietas coniugialis

Pietas, qualis est reverentia mutuae obligationis, etiam exprimitur coniugio romano, quod credebatur sacrum esse (dea Concordia fuit dea tutrix et coniugii et totius rei publicae³³).

Oportebat iuvenem Romanam, quae tempore nuptiarum saepe erat 12 vel 13 demum annos nata, fieri matrem familias simplicitate atque parsimoniâ rei domesticae insignem. Eidem mulieri cum alia tum praecipuê mandatum est, ut lanificium curaret et pensa lanae diurna ancillis distribueret easque custodiret. Matrona digna Romae summâ erat auctoritate.³⁴

Vincula familiae tantopere valebant, ut multae mulieres maritis suis ipsis in temporibus proscriptionum crudelissimis adessent cum fidelitate firmissimâ, immo eosdem mortem obeuntes sequerentur. Exempli gratiâ *Tacitus* saepius refert de talibus mulieribus (velut de *Serviliâ*, de *Paulinâ* uxore Senecae, de *Arriâ* uxore Auli Caecinae, de Epicharide e.al.³⁵).

Hôc autem loco afferatur documentum huiusmodi vetustius, inscriptio sepulchralis primi saeculi a.Chr.n., quae appellari solet *Laudatio Turiae*³⁶. Hôc epitaphio animus lectoris plurimum commovetur, quia piâ gratâque mente scriptum est a marito mulieris defunctae, qui nomine est *Vespillonis*. Tempore quo *Turia* – sic vocabatur uxor – nondum nupserat, sed iam sponsalibus coniuncta erat cum Vespillone, uno eodemque die orbata est et patre et matre, qui eodem tempore – eodemque loco interfecti erant (I 3-4). *Turia* naviter studens homicidas ad poenam iustam luendam adducere, non potest adiuvari a marito, qui peregrê abiit.

32 **Praesente filio se verecundê loqui:** PLUT.Cato maior 20,7 τὰ δ'αἰσχρὰ των ῥημάτων οὐχ ἤττον εὐλαβεῖσθαι τοῦ παιδὸς παρόντος ἢ τῶν ἱερῶν παρθένων, ἃς Ἑστιάδας καλοῦσι - Praesente filio, non minus verecundê, quam si adessent Vestales, ab obscenis dictis sibi temperasse... cfr TAC.Dial.28,4 Eligebatur autem maior aliqua natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur; coram quâ neque dicere fas erat quod turpe dictu neque facere quod inhonestum factu videretur.

33 **Concordia:** dea matrimonii tutrix: Heinrich Krefeld, Res Romanae, Frankfurt a.M. 1976. p.28.

34 **matronae:** COLUM.rust.XII praef.7 sq. ...apud Romanos usque in patrum nostrorum memoriam ferê domesticus labor matronalis fuit, tamquam ad requiem forensium exercitationum omni curâ depositâ patribusfamilias intra domesticos penatîs se recipientibus. Erat enim summa reverentia cum concordîâ et diligentîâ mixta, flagrabatque mulier pulcherrimâ aemulatione, studens negotia viri curâ suâ maiora atque meliora reddere. Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil, quod aut maritus aut femina proprium esse iuris sui diceret, sed in commune conspirabatur ab utroque, ut cum forensibus negotiis matronalis industria rationem parem faceret...

35 **Servilia (TAC.ann.16,33). Paulina (uxor Senecae, TAC.ann.63sq.), Arria (uxor Thraseae Paeti, TAC.ann.16,34), Epicharis: TAC.ann.15,51,1).**

36 **Dieter Flach, Die sogenannte Laudatio Turiae.** Einleitung, Text, Übersetzung und Kommentar. Darmstadt 1991.



Caerimonia matrimonii romani
(*invenitur in Museo Britannico*)

Sed Turia adiuvatur a sorore maiore natu, quacum bene meruit de homicidis accusatis et capite damnatis (I 7-9). Postea narrat Vespillo, quomodo ipse proscriptus in summo periculo versans audaciâ atque prudentiâ uxoris servatus sit (II 2a-II 26).

Sed hōc loco, in contextu thematis tractandi, nulla verba citabo nisi quasdam laudes virtutum Turiae (*Laudatio Turiae* I 25-36):

...quo facto (offici in patrem), pietatis in sororem, fidei in nos patrocinium susceptum sōla peregisti. Rara sunt tam diuturna matrimonia, finita morte, non divertio interrupta: contigit nobis, ut ad annum XXXXI sine offensâ perduceretur. Utinam vetusta coniunctio habuisset mutationem vice meâ, quâ



Par coniugiale. Sarcophagus romanus a.385 p.Chr.n.

iustius erat cedere fato maiorem. Domestica bona pudicitiae, opsequi, comitatis, facilitatis, lanificii, studi religionis sine superstitione, ornatûs non conspiciendi, cultûs modici cur memorem?

Cur dicam de caritate familiae, pietate, cum aequê matrem meam ac tuos parentes colueris non aliâ mente quam tuis curaveris, cetera innumerabilia habueris communia cum omnibus matronis dignam famam colentibus. Propria sunt tua quae vindico, ac paucae uxores in similia inciderunt, ut talia paterentur et praestarent, quae rara ut essent propitia fortuna cavit.

Haec hactenus de *Laudatione Turiae*, epitaphio, quod scripsit maritus pius atque gratus.

2.4.2 Pietas iuniorum erga seniores

Non solum servabatur reverentia erga parentes, sed generaliter erga homines maiores natu. Afferam nonnulla exempla, quae litteris tradita sunt.

- Si qui homo advenerat, inter omnes constabat iunioribus esse surgendum et maiori natu praebendam esse sedem aut quaerendam³⁷.

- Iuvenes putabant sibi esse magno honori patres suos sessiones senatûs accedentes comitari et ante ianuam exspectare, ut etiam domum euntes comitarentur³⁸.

- In conventibus sollemnibus severê id curabatur, ne iuniores considerent ante comites sui maiores natu³⁹.

- Cum tres viri unâ viam praeteribant, maximus natu ibat mediâ lineâ. Si duo viri, vir minor natu ibat parte externâ, id est prope latus viae.⁴⁰

Parvuli has normas observabant sibique proprias faciebant⁴¹. At omnium gravissimum erat maiores natu merere hanc reverentiam, non solum ordine et peritiâ, sed etiam moribus suis propriis, aspectu decoro, modis agendi dignis et impatientiâ erga omnem decôrîs violationem. Nam iidem bene sciebant, quantum valeret exemplum proprium. Non solum oportebat revereri parentes, sed generaliter omnes concives maiores natu, qui habebantur pro parentibus communitatis omnium civium⁴².

37 CIC.inv.30,48; id. Cato 18,63.

38 VAL.MAX.2,1,9.

39 *ibid.*; GELL.II 15,2.

40 OV.Fast.,65-68; cf. CIC.rep.I 12,18.

41 cf. PLUT.Cic.2,2

42 CIC.off.I 34,122sq.; VAL.MAX.2,1,9; cf. PLATO leg.V, p.729 b.

2.4.3 Pietas civis erga rem publicam



DECIUS MUS SE IPSUM DEVOVET MANIBUS ET TELLURI
Pinxit Petrus Paulus RUBENS (1577-1640)

Cicero in oratione suâ, quam habet pro *Balbo*, loquitur de *pietate in rem publicam* (CIC.Balb.6). *Livius* in libro 27. consules inducit dicentes legatis civitatum romanarum *Campaniae* et *Tarenti*, qui a Româ desciscere volunt, eos Romanis haec debere, quae liberi deberent parentibus (LIV.27,9,11):

Admonerent non Campanos neque Tarentinos esse eos sed Romanos, inde oriundos, inde in colonias atque in agrum bello captum stirpis augendae causâ missos. Quae liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si ulla pietas, si memoria antiquae patriae esset⁴³.

Huic generi pietatis interdum tanta vis attribuebatur, ut pro communitate sacrificaretur *vita propria*. *Livius* refert de *devotione imperatoris Romani Publius Decius Mus*, qui se devovit dis Mânibus, ut exercitum servaret: Imperator nullo vestimento nisi togâ praetextâ vestitus, capite obvoluto, manu mento appositâ, hastâ nixus, repetivit formulam devotionis, quam sacerdos dictavit. Deis sollemniter invocatis se ipsum devovit simulque exercitum hostium *Manibus et Telluri*. Deinde se iniecit medios in hostes, ut necaretur et tactu suo execrabili terror Panicus diffunderetur⁴⁴. *Livius* contendit etiam filium (a.295 a.Chr.n.) et nepotem (a.279 a.Chr.n.) *Decii Muris* eodem modo se Mânibus in proelio devovisse pro exercitu suo. Historici moderni has devotiones heroicas addubitant. At – ut *Marrou*⁴⁵ explicat - in hac re plurimum non valet, utrum hae devotiones reverâ factae sint necne, sed id

43 LIV.27,9,11

44 LIV.8,9 devotio Decii Muris a.340 a.Chr.n. facta.

45 *Marrou*, op.mem., p.348: (de devotione trium Deciorum): „Je ne suis pas en mesure, bien entendu, d'établir l'historicité d'aucun des trois, mais je ne vois rien que de psychologiquement vraisemblable dans les paroles que Tite-Live prête au second Decius...“

quod devotio vitae propriae ad communitatem servandam credebatur esse meritum summâ laude dignum. Porro ex hōc loco Liviano apparet milites Romanos ex gentibus nobiles oriundos ardentem cupivisse maiores suos virtutibus aequare aut superare. Itaque apud Livium filius Decii Muris exemplo patris se pro exercitu devoturus (LIV.10,28) dicit haec:

"Quid ultra moror" inquit "familiare fatum? Datum hoc nostro generi est ut luendis periculis publicis piacula simus. Iam ego mecum hostium legiones mactandas Telluri ac Dis Manibus dabo."

2.4.4 Pietas hominum erga deos (religio)

A Cicerone pietas hominum erga deos aequatur notioni graecae quae est **εὐσέβεια** necnon saepe notioni romanae, quae est **religio**⁴⁶. Îdem auctor hoc genus pietatis definit esse **iustitiam adversus deos**. Totâ ex religione Romanorum apparet eosdem credere rationem, quae intercedat inter homines et deos, insignem esse iuribus et obligationibus. Itaque singulas actiones et provincias vitae attribuuntur certis **deis specialibus**. Cum Romani autem anxîa cum diligentîa curent, ne quem deum praetereant, solent aptas formulas invocandi adhibere: **dei deaeque omnes** aut **ceteri di ceteraeque deae** aut **di indigetes di novensides**⁴⁷. Generaliter Romanus credit rectâ formulâ invocandi adhibitâ et precibus ritê recitatis aliisque ritibus perfectis (sacrificio, caerimoniis eqs.) etiam deum ipsum obligatum esse. Proverbium, quod est **do ut des** – non est romanum, sed mediaevale – tamen bene congruit cum religione Romanâ⁴⁸. Hac vi religionis romanae iuridica explicantur etiam praecepta numerosa, quae spectant ad sacrificia continua, munera sacerdotum, auguria, auspicia, piacula et cetera. Quae Romani eo fine instituerunt, ut assequerentur pacem et veniam deorum. Ut Cicero explicat religionem esse **iustitiam erga deos**, sic universalitas praeceptorum religionis appellatur **ius divinum**⁴⁹.

Polybius (Historiae VI 56)⁵⁰ verbis effert, quantum valeat religio ad ordinem rei publicae Romanorum. Eidem persuasum est Romanos Carthaginensibus Graecisque

46 **CIC.nat.I 116** Est enim pietas iustitia adversum deos; cum quibus quid potest nobis esse iuris, cum homini nulla cum deo sit communitas? Vgl. Le Bonniec, op.mem., bei CIC.nat. I 116: religio = εὐσέβεια.

47 **Di indigetes**: Krefeld, op.mem., S.60.

48 **Do ut des**. **AZZO** (11.Jh.; Italus iuris peritus)

49 **Ius divinum**: Krefeld, ibid.

50 **Polybius, Historiae VI 56** Καὶ μὴν τὰ περὶ τοὺς χρηματισμοὺς ἔθη καὶ νόμιμα βελτίω παρὰ Ῥωμαίοις ἐστὶν ἢ παρὰ (2) Καρχηδονίοις· παρ' οἷς μὲν γὰρ οὐδὲν αἰσχρὸν τῶν ἀνηκόντων πρὸς κέρδος, παρ' οἷς δ' οὐδὲν αἰσχίον τοῦ δωροδοκεῖσθαι καὶ τοῦ πλεονεκτεῖν ἀπὸ τῶν μὴ (3) καθηκόντων· καθ' ὅσον γὰρ ἐν καλῷ τίθενται τὸν ἀπὸ τοῦ κρατίστου χρηματισμόν, κατὰ τοσοῦτο πάλιν ἐν ὀνειδίει ποιοῦνται τὴν ἐκ τῶν ἀπειρημένων πλεονεξίαν. (4) Σημεῖον δὲ τοῦτο· παρὰ μὲν Καρχηδονίοις δῶρα φανερώς διδόντες λαμβάνουσι τὰς ἀρχάς, παρὰ δὲ Ῥωμαίοις θάνατός ἐστι περὶ τοῦτο πρόστιμον· (5) ... (6) Μεγίστην δὲ μοι δοκεῖ διαφορὰν ἔχειν τὸ Ῥωμαίων πολίτευμα πρὸς βέλτιον ἐν τῇ περὶ θεῶν διαλήψει. ... (13) τοιγαροῦν χωρὶς τῶν ἄλλων οἱ τὰ κοινὰ χειρίζοντες παρὰ μὲν τοῖς Ἑλλησιν, ἐὰν ταλάντου μόνον πιστευθῶσιν, ἀντιγραφεῖς ἔχοντες δέκα καὶ σφραγίδας τοσαύτας καὶ μάρτυρας διπλασίους οὐ δύνανται τηρεῖν τὴν πίστιν· (14) παρὰ δὲ Ῥωμαίοις κατὰ τε τὰς ἀρχὰς καὶ πρεσβείας πολὺ τι πλῆθος χρημάτων χειρίζοντες δι' αὐτῆς τῆς κατὰ τὸν ὄρκον πίστεως τηροῦσι τὸ καθηκόν. (15) Καὶ παρὰ μὲν τοῖς ἄλλοις σπάνιον ἐστὶν εὐρεῖν ἀπεχόμενον ἄνδρα τῶν δημοσίων καὶ καθαρεύοντα περὶ ταῦτα· Παρὰ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις σπάνιον ἐστὶ τὸ λαβεῖν τινα πεφωραμένον ἐπὶ τοιαύτῃ πράξει.

eo praestare, quod fundamentis ideae rei publicae Romanae religiosi ideoque obligatione iure iurando confirmatâ magistratûs Romanorum multo rarius quam aliarum gentium peccant ditificando et corruptione et peculando:

Quod attinet ad divitias parandas, mores atque lēges Romanorum sunt meliores quam Carthaginiensium, apud quos nihil turpe habetur quod affert lucrum: Romae nihil turpius habetur quam corrumpi et lucrum petere indecōrum. Nam ut laudant quaestum pecuniae quam probissimum, ita castigant cupidinem lucri ex illicitis capti. Documento est Carthagine homines munera accipere apertê largientes, cum Romae tale facinus morte puniatur. ... Sed maximum id discrimen, quo res publica Romanorum superat alias, mihi videtur esse fundamentum religionis. ...Inde cum alia tum id consequitur magistratûs apud Graecos, si iis unum tantummodo talentum creditum est, fidem servare non posse, quamvis decem contrascriptores habeant totidemque sigilla et altero tanto plures testes; sed apud Romanos etiam magistratûs et legati magnas pecunias tractantes fidem servant secundum ius iurandum a se datum. Apud alios raro invenitur vir a publicis pecuniis abstinens taliumque facinorum purum; sed apud Romanos raro invenitur aliquis tale delictum committens deprehensus.

2.5 iustitia

Cum tractavimus virtutem *pietatis*, quantum spectat ad societatem atque religionem, iam appropinquavimus ei virtuti, quae a Cicerone expressis verbis appellatur omnium praestantissima: ***iustitia***, ex quâ cognoscitur Romanorum ratio iuris et ordinis servandi necnon ea res, quam iidem ad cultum civilem fovendum umquam contulerunt omnium maximam. *Iustitia*, id est virtus *consensionis omnium*, acutangitur verbis quae sunt ***Salus populi suprema lex esto***⁵¹.

Iustitia cum sit virtus consensionis omnium, a Romanis creditur esse maximi momenti, et a Cicerone in opere *Officiorum* dicitur ***omnium virtutum domina et regina***. Itaque idem lectoribus explicat ***commodum commune esse praeferendum proprio***, et acriter vituperat avaritiam illorum, qui sumptibus concivium commodum sui ipsorum foventes divitias suas augeant et sentiant nemini se parcere debere nisi suae familiae (CIC.off.III 28):

Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se aut fratri nihil detracturos sui commodi causa, aliam rationem esse civium reliquorum. Hi sibi nihil iuris, nullam societatem communis utilitatem causa statuunt esse cum cum civibus. Quae sententiam omnem societatem distrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, ii dirimunt communem humani generis societatem; qua sublata beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia funditus tollitur; quae qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii iudicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt, cuius societatis artissimum vinculum est magis arbitrari esse contra naturam hominem homini detrudere sui commodi causa quam omnia incommoda subire vel externa vel corporis vel etiam ipsius animi. Iustitia enim una virtus omnium est *domina et regina virtutum*.

Haec Cicero dicit de iustitiâ et utilitate communi et propriâ. Fundamento iustitiae nituntur ius Romanum, id est Romanorum ars foedera pangendi et rem publicam

⁵¹ **Salus populi suprema lex esto** (CIC.leg.III 8).

administrandi. Saluti patria omnia debentur, sed non omnia sunt licita. Observande sunt leges, e.g. apud Romanos sunt praecepta accurata, quae spectant ad bellum indicendum: **Fetiales**⁵² fines hostium cum advenerint, deos et ius bonum testes invocant iustitiae et rerum Romanarum: Roma bellum non gerit nisi id faciens quod facere debet.

Certe Romani de re publicâ non semper egerunt tam probê purêque, sed haec idea belli iusti insigniter se differt ab ideis aliarum gentium illius aetatis. Romani liberos suos educantes maiores summis virtutibus praeditos exempla proposuerunt, quia ius divinum praetulerant observandum commodo rei publicae praesenti:

- **Fabricsius** incorruptibilis rêgi Pyrrho tradit proditorem, qui illum voluerit veneno imbuere⁵³.

- **Regulus** heroicus, qui voluntariê Carthaginem revertens se opponit tormentis mortique, ut ibi tradat condicionum pacis Carthaginiensium recusationem⁵⁴.

Ex exemplo Reguli, quod apud Ciceronem (loc. cit.) fusê recensetur, cum alia tum praecipuê id apparet, quantum valeat apud Romanos ius iurandum eiusque observationem absolutam. *Fides* et *iustitia* sunt bona divina, quae praeferuntur vitae propriae necnon commodo rei publicae praesenti, quod non valet nisi spatio temporis brevi. Nam ratione altiore et religiosâ saluti rei publicae eo maximê consulitur, quod illae virtutes observantur quam diligentissimê.

2.6 clementia

Clementia non est i.q. *mansuetudo*, *miser cordia*, *lenitas*, sed est res contraria *crudelitati* et *iracundiae*. Homo potens hac virtute praeditus impeditur, ne inferiorem temere interficiat. Aetate imperatorum ista non est notio theoretica, sed virtus maximi momenti, si consideramus potestatem imperatorum absolutam. Ergo *clementiam* *adhibere* valet i.q. adversarium non interficere, sed eidem parcere. Aetate rei publicae interdum Romani adhibebant *clementiam* erga hostes devictos et regiones subiectas.

Clementia Caesaris est virtus, quae adscripta est **Gaio Iulio Caesari (100-44 a.Chr.n.)** et quâ îdem, cum diceretur paratus esse ad obligationes et poenas et debita dimittenda, utebatur ad homines sibi obnoxios faciendos.

Secundum Plutarchum (Caes.57) senatus pro clementiâ in bello civili adhibitâ Caesaris gratias referens templum aedificandum curavit. Num quando hoc templum aedificatum sit, incertum est; sed apparet in monetis.

52 **Fetiales**: LIV. I 32,6-14.

53 **Fabricsius**: GELL. III 8

54 **Regulus**: CIC. off.III 100.




Clementia lancem sacrificii manu tenens.
Nummus denarius Imperatoris Antonini Pii



Ecce Statua Clementiae.
Imitamentum statuæ graecæ
IV.º saeculi a. Chr. n. confectæ

Caesaris clementia et lenitas erga adversarios erat in proverbio. Eandem adhibuit etiam oppido *Corfinii* in Italiâ mediâ sito expugnato, quod foedere cum Pompeio

Caesaris adversario erat coniunctum. Caesar epistolâ Pompeium certiore fecit se esse paratum de pace agere et concordiam restituendam, ut res publica servaretur.



GAIUS IULIUS CAESAR

(100-44 a.Chr.n.)

Caesar ignovit Corfiniensibus, quod una cum Pompeianis contra se foedus pepigerant, eosque protexit, ne vim paterentur a militibus Romanis. Praeterea Pompeianos instigavit in Gnaeum Pompeium Magnum, sed illos non punivit. Pecuniam a Corfiniensibus collectam recusavit, sed imperavit, ut eadem Corfiniensibus redderetur. Cum Pompeius bello civili ineunte omnes declararet esse inimicos rei publicae, qui non secum starent, e contrario Caesar edixit se cum omnibus neutram partem sequentibus sic acturum esse ut cum amicis. Itaque idem magnum habuit concursum, nam plerique bellum civile reprobaverunt. Victoria parta Caesar ignovit adversariis eorumque honores et dignitates restituit pro eo, ut – quod olim Sulla fecerat – eos indicibus proscriptionis persequeretur et interficeret. Praeterea Caesar documenta, quae in manus suas inciderant, curavit comburenda, ne ipse sciret, quibus hominibus ignovisset. Denique satellites dimisit confisus senatoribus, qui sollemniter polliciti erant se ita eum protecturos esse ut Caesar se illos.

In bello civili Caesar erga adversarios Romanos *clementiam* praestitit planissimê. At haec clementia non omnibus videbatur laudabilis; nam quod Caesar potest demonstrare clementiam suam, documento est potestatis nimiae, quae a re publicâ liberâ vehementer discrepat. Itaque *Cato minor Uticensis* in bello civili cum audiret de victoriâ Caesaris, maluit mortem sibi consciscere quam gratias referre Caesari de clementiâ suâ glorianti.

Postea *coniurati* ducibus *Bruto et Cassio* hac clementiâ Caesaris abusi sunt ad eum interficiendum. Nonnulli eorum a Caesare heredes erant facti. Hac de causâ populus

irâ incensus est testamento recitato. Ita *clementia Caesaris* male adhibita interfectoibus Caesaris facta est fatalis. Populus statuerat:

Ei libertas Caesaris liberalitate effecta maioris momenti esse visa est quam libertates, quas recuperandas esse asseveraverunt *liberatores*. **Plinius maior** (nat. 7,26,93) scripsit:

Caesari proprium et peculiare sit [praeter supra dicta] clementiae insigne, quâ usque ad paenitentiam omnes superavit; îdem magnanimitatis perhibuit exemplum, cui comparari non possit aliud.

Caesar scripsit **Marco Tullio Ciceroni** (CIC. ep.Att. 9,7c): *Haec nova sit ratio vincendi, ut misericordia et liberalitate nos muniamus.*

Quod attinet ad *Caesaris mores erga adversarios belli non-romanos et regiones subiectas*, potius invenimus exempla *crudelitatis* quam *clementiae*:

- **Uxellodunum** fuit oppidum *Cadurcorum* gentis gallicae⁵⁵. Hoc oppidum fuit ultimum omnium, quae aestate anni 51 a.Chr.n. a Gaio Iulio Caesare in bello gallico obsessum et expugnatum est. Caesar hunc in finem aquam fontis prope siti curavit avertendam.

Cum multa iam pecora necnon homines siti crudeliter consumpti sint, Uxellodunenses accendunt opera et tormenta obsidionis Romanorum. Postquam complures Romani vulnerati sunt, Caesar cohortes iubet montem oppidi ascendere. Quare territi incolae ab oppidi defensione destiterunt. Cum insuper fons aquae ad originem conclusus esset, ut incolas causis sibi incognitis deficeret, credentes hoc fieri voluntate deorum se potestati Romanorum dederunt.

Deinde Caesar, ut praeveniat novis pugnibus, curat omnium incolarum *Uxelloduni*, qui arma tulerant, *manûs praecîdendas*. **Hirtius** in libro VIII. *Belli Gallici* de istâ poenâ crudelissimâ referens verbis effert hostes exemplo esse deterrendos; tamen laudat Caesaris *clementiam*⁵⁶.

- **Vercingetorix**, qui Romanis nihil adversi fecit nisi libertatem patriae suae defenderat, devictus et in *Carcerem Tullianum* coniectus ibidem per sex annos tabescit, usque dum a.46 a.Chr.n. a Caesare triumpho quadruplici per Romam ductus denique in carcere stranguletur⁵⁷.

55 Ubi **Uxellodunum** situm esset, archaeologi diu inter se dissenserant: Nonnulli investigatores hoc oppidum fuisse putaverant prope [Capdenac](#) aut [Luzech](#). Sed a.2001 denuo effossionibus factis in septentrione ipsius Quercy archaeologi pro certo habent se invenisse locum oppidi antiquum: Qui esse putatur *Puy d'Issolud*, i.e. mons tabulatus supra Vallem fluvii Dordogne, qui situs est prope vicos modernos [Vayrac](#) et [Saint-Denis-lès-Martel](#), in departimento [Département Lot](#) – i.e. in loco, qui archaeologis iam notus est ex saec.19.

56 **HIRT.Gall. VIII, 44. 1** Caesar, cum suam lenitatem cognitam omnibus sciret neque vereretur ne quid crudelitate naturae videretur asperius fecisse, neque exitum consiliorum suorum animadverteret, si tali ratione diversis in locis plures consilia inissent, exemplo supplici deterrendos reliquos existimavit. 2 Itaque **omnibus qui arma tulerant manûs praecîdit** vitamque concessit, quo testatior esset poena improborum.

57 cfr **CASSIUS DIO Historia Romana XLIII 19, 4**. - Ex annotatione **Flavii Iosephi** historici Iudaei (*Bellum Iudaicum* VII 154) concluditur Vercingetorigem strangulatum esse, cfr [Matthias Gelzer](#): *Vercingetorix*. in: [Paulys Realencyclopädie der classischen Altertumswissenschaft](#) (RE). tom. VIII A,1, Stutgardiae a.1955, col.1007.

Caesare mortuo *clementia* qualitas Imperatorum Romanorum est deificata. Etiam eius successores contenderunt se esse hac virtute praeditos (e.g. **Augustus** in Rebus gestis, 34). Necnon senatus a.28 p.Chr.n. constituit, ut ara aedificaretur in honorem clementiae **Tiberii** (TAC.ann. 4,74).

Cum potestas imperialis esset instituta, sperabatur imperatorum omnipotentium *clementia*: Seneca **De clementiâ** scripsit, ut castigaret mores Neronis 18 annos nati, qui potestate uteretur omnium vitarumque omnium.

De clementiâ Titi Imperatoris (79-81 p.Chr.n.). Titus senatoribus videbatur esse dominus idealis. Suetonio teste (SUET.Tit.11) senatus dixit: *Excessit in eadem qua pater villa Id. Sept. post biennium ac menses duos diesque XX. quam successerat patri, altero et quadragesimo aetatis anno. Quod ut palam factum est, non secus atque in domestico luctu maerentibus publice cunctis, senatus prius quam edicto*



TITUS
(natus a.39, imperator 79-81 p.Chr.n.)

convocaretur ad curiam concurrat, obseratisque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit laudesque congressit, quantas ne vivo quidem umquam atque praesenti.

Plinius maior, qui mortuus est monte Vesuvio erupto, Tito amico suo dedicavit *Historiam suam Naturalem*⁵⁸. Documento clementiae Titi fuerunt verba eius, quibus dixit se diem perdidisse, quia nemini aliquid boni fecisset:

58 **PLIN. nat. Praef.1** Libros Naturalis Historiae, novicium Camenis Quiritium tuorum opus, natos apud me proximâ feturâ licentiore epistulâ narrare constitui tibi, iucundissime Imperator; sit enim haec tui praefatio, verissima, dum maximi consenescit in patre... *Explicationes*: licentiore epistulâ i.e. *familiariore, liberiore, remissiore epistulâ* – praefatio i.q. *appellatio, allocutio, titulus, quo alloquitur Titum Imperatorem*. - maximi consenescit in patre: Iam Vespasianus pater Titi ‚Maximus‘ appellatur.

SUETONIUS Titus VIII. Naturâ autem benivolentissimus, cum ex instituto Tiberi omnes dehinc Caesares beneficia a superioribus concessa principibus aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent, primus praeterita omnia uno confirmavit edicto, nec a se peti passus est. In ceteris vero desideriis hominum obstinatissimê tenuit, ne quem sine spe dimitteret; quin et admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur quam praestare posset, non oportere ait quemquam a sermone principis tristem discedere; atque etiam recordatus quondam super cenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: "*Amici, diem perdidit.*"

Suetonius auctor *Vitae Caesarum* Titum praedicavit *amorem ac delicias generis humani* (SUET. Tit.1.1). At destructio templi Hierosolymitani huic historico Romano ne memoratu quidem digna visa est. Amphitheatro aedificato Martialis verbis extulit a Tito *Romam ipsam sibi redditam esse* et populum nunc posse hac re frui, quâ antea solus *dominus* perfructus esset – nam amphitheatrum ibi exortum erat, ubi sitae erant Neronis *Domus Aurea* et stagna et horti luxuriosi⁵⁹. Secundum historicos sequentes historiographiae senatoriae Titus fuerat imperator exemplaris. Quarto saeculo p.Chr.n. *Aurelius Victor*⁶⁰ Titum vocavit *delicias generis humani*; eius morte Romam et provincias dolore ineffabili esse affectas. Nec defuere voces ieiuniores iam antiqua aetate: Saeculo quarto **Ausonius** Titum dixit fuisse *felicem brevitate regendi*⁶¹.

Der römisch-jüdische Geschichtsschreiber **Flavius Iosephus** historicus romano-iudaeicus, qui Bellum Iudaeicum expertus erat, in opere suo dicit greges Iudaeorum varios et minores effecisse seditionem contra Romam factam et Imperatores Flavios praedicat. Expressis verbis dicit Iudaeos interitus sui culpam ipsos contraxisse. A nemine turbas istorum homicidiales et parum intellegibiles finiri potuisse nisi a Tito imperatore Hierosolymam obsidente⁶². Iosephus Titum heroem suum vehementer magnificat, cum aliis de causis, tum quia Titus multum valuit ad vitam Iosephi servandam. Apud Iosephum imperator Romanus apparet benefactor atque servator populi Iudaici, immo dicitur conatus esse impedire, ne templum destrueretur⁶³.

Clementia Titi a poetis et artificibus figurativis etiam aetate nova saepe tractata est. Libellus melodramaticus **Petri Metastasio**, c.t. *La clemenza di Tito* (a.1734), a plus 40 compositoribus melodiarum aetatis barocianae et classicae ad melodramata componenda adhibitus est, quorum omnium usque nunc illustrissimum est **Volfgangi Amadei Mozart: La clemenza di Tito**. Alii compositores, qui melodramata

59 **MART. Epigrammaton liber, epigr.2:** Hîc ubi sidereus propius videt astra colossus/ et crescunt mediâ pegmata celsa viâ,/ invidiosa feri radiabant atria rêgis/ unaque iam totâ stabat in urbe domus./ Hîc ubi conspicui venerabilis Amphitheatri/ erigitur moles, stagna Neronis erant./ Hîc ubi miramur velocia munera thermas,/ abstulerat miseris tecta superbus ager./ Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,/ ultima pars aulae deficientis erat./ Reddita Roma sibi est et sunt te praeside, Caesar,/ deliciae populi, quae fuerant domini.

60 **AURELIUS VICTOR**, Epitome de Caesaribus 10.

61 **AUSONIUS**, Caesares 2,12.

62 **FLAVIUS IOSEPHUS**, Bellum Iudaicum 1,27; 5,257.

63 op.mem. 6,236.

confecerunt secundum illum libellum, sunt *Antonio Caldara, Baldassare Galuppi, Johann Adolph Hasse, Niccolò Jommeli, Ignaz Holzbauer, Christoph Willibald von Gluck*. Titus a *Metastasio* describitur imperator virtutibus praeditus et ad clementiam obligatus, qui principibus absolutismi praeponatur, ut sit iisdem exemplo. Sed ea quae de *Tito* ab historicis tradita sunt, minus valuerunt ad argumentum Metastasianum quam ad argumentum dramatis *Petri Corneille*, c.t. *Cinna*; eodem autem exhibetur clementia *Caesaris Augusti* erga coniuratum *Gnaeum Cornelium Cinnam Magnum*.

Ut apparet ex monetis *Diocletiani* et *Maximiani*, cultus *clementiae* usque ad ineuntem aetatem antiquitatis posteriorem coli non desiit. Ius *clementiae* concedendi remansit ius Caesarum praestantissimum et usque nunc relictum est in *iure amnestiae regum et primorum rei publicae*.

2.7 Humanitas

Humanitas est i.q. *hominis est*, sive discernitur a *deis* (homines sunt mortales) sive a *bestiis* (bestiae non possunt loqui); porro homines culti et eruditi a brutis et feris discernuntur humanitate, i.e. moribus, scientiâ, facultate. Notio humanitatis multas habet significationes secundarias: e.g. *humanitas* significat *lenitatem* vel *clementiam hominis tractandi*, quae est contraria *crudelitati*, ergo *humanitas* interdum similis est *miseri cordiae*. Praeterea *humanitas* interdum etiam valet *animum hominis potestatem deorum timentis*.

Sensu artiore, quo haec notio postea imprimis valuit, *humanitas* est *eruditio*, quâ *homo* insignis est. Cicero saepe verbis effert hominem a bestiis differre *ratione* et *linguâ*; itaque id quod faciat hominem esse *eruditionem*. *Humanitas* ergo saepe cohaeret cum *litteris* et *studio* et *artibus*. Itaque Cicero scribit e.g. liberos eo quod discant legere et scribere, assequi *humanitatem*. Qui monet Gaium fratrem procuratorem provinciae Asiae factum: Etsi is factus esset procurator apud Gallos, Hispanos, Africanos incultos, futurum fuisse, ut humanitatis causâ eorum saluti prospiceret; sed nunc incolas proviniae eius esse Graecos, qui non solum ipsi humanitate sint praediti, sed eandem Romanis attulerint:

CIC.ep.Quint. I,1,9,27 Quapropter incumbe toto animo et studio omni in eam rationem quâ adhuc usus es, ut eos, quos tuae fidei potestatique senatus populusque Romanus commisit et credidit, diligas et omni ratione tueare et esse quam beatissimos velis. Quod si te sors Afris aut Hispanis aut Gallis praefecisset, immanibus ac barbaris nationibus, tamen esset humanitatis tuae consulere eorum commodis et utilitati salutique servire; cum vero ei generi hominum praesimus, non modo in quo ipsa sit, sed etiam a quo ad alios pervenisse putetur **humanitas**, certê iis eam potissimum tribuere debemus, a quibus accepimus.

Verbum *humanitatis* interdum etiam sensu laxiore adhibetur, e.g. in inscriptione quae sequitur: Caupo praeconatus est pro cauponâ suâ his verbis cauponae inscriptis: **Omnis humanitas praestatur**⁶⁴.

64 cfr ThLL, VI 3, s.v. **humanitas**, col.3083, lin.19-22 (II) *praevalente plus minus vi corporali* ('*humanitas corporis*' infra l. 49) *fere i. q. donum, refectio, annona, cibus sim. (opp. deliciae 2 l.30*

Antequam desinamus considerare virtutes romanas et quaeramus, quonam modo liberi Romani iisdem imbuti sint, legamus verba *Plinii maioris*, qui in *Naturali suâ Historiâ* dilucidê explicat, quales virtutes Romano videantur esse petendae:

PLIN.nat.VII 139-140 Q. Metellus in eâ oratione, quam habuit supremis laudibus patris sui L. Metelli pontificis, bis consulis, dictatoris, magistri equitum, XV viri agris dandis, qui primus elephantos ex primo Punico bello duxit in triumpho, scriptum reliquit decem maximas res optimasque, in quibus quaerendis sapientes aetatem exigerent, consummasse eum: voluisse enim **primarium bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore ûti, summâ sapientiâ esse, summum senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere et clarissimum in civitate esse**: haec contigisse ei nec ulli alii post Romam conditam.

3. Quomodo liberi Romani educati sint

3.1 Curriculum vitae iuvenis Romani

Romani aetatis rei publicae crediderunt parvulos secundum naturam nullo loco melius educari quam in familiâ. Etiam aetate Caesarum, quâ iam pridem fiebat institutio liberorum, disputabatur, quae commoda et incommoda sint institutionis scholaris⁶⁵.

Septem prioribus annis vitae suae puer Romanus aetate rei publicae priore colebatur a matre propriâ (non a nutrice). Etiam in familiis nobilissimis mater mansit domi, ut se dederet liberis educandis. Ex anno septimo aetatis suae filii coeperunt educari a patre suo. Qui patrem comitabantur sessiones senatûs participantem⁶⁶. Filiae domi manserunt prope matrem. Iisdem mandabantur munera domestica explenda, praesertim nebant atque texebant. Adhuc **Livia**, uxor Augusti iubebat neptices suas talia opera facere easque facientes custodiebat⁶⁷. Adulescens Romanus nobilis **togâ praetextâ** indutus (**praetextatus**) unâ cum patre particeps erat conviviorum, cantabat cantilenas, munera gerit, sed semper iuxta patrem⁶⁸. Iuvenis Romanus sextum decimum annum aetatis assecutus non iam educabatur in familiâ. **Purpleam togam praetextam** cum exuisset, nunc gerebat **togam virilem** et erat **civis**. Per annum subiit **tirocinium fori**, id est **institutionem politicam**. Tempore tirocinii adiuvatur a familiae amico vetere, qui rerum politicarum est peritus. Tirocinio fori finito iuvenis Romanus

[*contra v. l.55*]; *saepius spectat ad humanitatem imperatoriam [cf. p. 3081,35 sqq.] vel hospitibus praestitam... l.50-55* CIL XIV 4015,5 in <hi>s praedis . . . balineus, lavat(ur) more urbico, et omnis humanitas praestatur (cf. INSCR. RevA. VI 2,1933, 384 n. 49 in his praediis . . . balneu<m et> omnis humanitas urbico more praebetur). *huc traham (fere i.q. δαίς θάλεια, deliciae)*: FVLG. myth. 1, 2 p. 17,18 pollucibilitate, quam nos humanitatem dicimus.

65 QUINT. 1,2 Sed nobis iam paulatim ad crescere puer et exire de gremio et discere serio incipiat. Hôc igitur potissimum loco tractanda quaestio est, utiliusne sit domi atque intra privatos parietes studentem continere, an frequentiae scholarum et velut publicis praeceptoribus tradere.

66 GELL. I 23,4; PLIN.ep.VIII 14,4-5.

67 SUET. Aug.64,4.

68 NON. I 107sq. s.v. Assa; PLUT. an.Rom. 272c.

fit miles. Tamen eruditio eius politica continuatur. Per annum munere fungitur in exercitu. Si ibidem bene meritus est de re militari, fieri potest, ut cursus eius iuvenis honorum acceleretur. Sed iuvenes nobiles non eâdem duritiâ tractabantur ac tirones vulgares. Erant iisdem adiutores, quibus dirigerentur atque protegerentur⁶⁹. Iuvenis Romanus nobilis eruditur a viro aliquo magnae auctoritatis, cui praestat reverentiam atque aestimationem.

3.2 Exemplum maiorum

Polybius (VI 53-54) verbis effert, quantum valeat exemplum maiorum ad iuvenes Romanos. In hac re maximê valebant imagines maiorum quam fidelissimae. Cum funus viri illustris fiebat, filius orationem habens laudabat virtutes atque merita patris sui. Imprimis autem pompa ad forum fiebat, in quâ participes personas gerebant, quae ita erant formatae, ut essent faciebus maiorum gentis illustrium quam simillimae necnon insignibus horum maiorum erant instructae. Polybius scribit haec (VI 53,10):

Neque ullum spectaculum pulchrius neque utilius fieri poterat iuveni et gloriae et virtutum studioso: nam quod spectaculum pulchrius sit quam hoc, quo quis excitetur spectans imagines virorum virtute illustrium, quasi omnes unâ adessent vivi et animati?⁷⁰

Viri iuvenes hōc decore publico et oratione et pompâ funebri plurimum commoti senserunt sibi fato destinatum esse, ut pro communitate omnes labores exanclarent. **Fabius Maximus** et magnus ille **Scipio Africanus** declaraverunt talibus imaginibus aspectis se suscitatos esse, ut ipsi similia praestarent ac maiores (SALL.Iug.4,5-6):

...saepe ego audivi Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, cum maiorum imagine intuerentur, vehementissimê sibi animum ad virtutes adendi: scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit.

3.3 Quantum valuerit persona matris

3.3.1 Veturia mater Coriolani (LIVIVS II 40)

De *personâ matris* Romanae iam in contextu sermonis, quem habuimus de *pietate coniugalium* nonnulla diximus. E *Laudatione Turiae*, epitaphio mariti gratâ mente imbuti, valdê commoti cognoscimus, quibus virtutibus ut bona **mater familias** praedita sit exspectetur. Legamus nunc duos locos litteraturae antiquae illustres, ex quibus apparet, quantopere valuerit mater Romana ad filiorum educationem et eruditionem et professionem eligendam et res statuendas, etiamsi filii iam pridem adoleverant.

69 CIC. ap.Serv.ep. V 546.

70 POLYB. VI 53,10 οὗ κάλλιον οὐκ εὐμαρὲς ἰδεῖν θέαμα νέφ φιλοδόξω καὶ φιλαγάθω· (10) τὸ γὰρ τὰς τῶν ἐπ'ἀρετῇ δεδοξασμένων ἀνδρῶν εἰκόνας ἰδεῖν ὁμοῦ πάσας οἷον εἰ ζώσας καὶ πεπνυμένας τίν'οὐκ ἂν παραστήσαι τί δ'ἂν κάλλιον θέαμα τούτου φανείη;



CORIOLANUS EIUSQUE MATER VETURIA
pinxit a.1893 José Garnelo

Ut in societate nostrâ modernâ, ita etiam in romanâ antiquâ mater saepe ad totam vitam alicuius hominis plurimum valuit. Hoc licet concludere ex anecdotâ illustri **Coriolani**, qui seditione contra rem publicam romanam conflatâ dux exercitûs *Volscorum* iter fecit Romam: Neque lēgatis populi Romani rogantibus neque sacerdotibus a proposito suo destitit: Sed concessit reprobanti suae matri !

LIV. II,40 Coriolanus prope ut amens consternatus ab sede suâ cum ferret matri obviae complexum, mulier in iram ex precibus versa "*sine, priusquam complexum accipio, sciam*" inquit, "*ad hostem an ad filium venerim, captiva maternelis in castris tuis sim. In hoc me longa vita et infelix senecta traxit ut exulem te deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc terram quae te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo et minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? Non, cum in conspectu Roma fuit, succurrit: intra illa moenia domus ac penates mei sunt, mater coniunx liberique? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur; nisi filium haberem, libera in liberâ patriâ mortua essem. Sed ego mihi miserius nihil iam pati nec tibi turpius usquam possum, nec ut sum miserrima, diu futura sum: de his videris, quos, si pergis, aut immatura mors aut longa servitus manet.*" Uxor deinde ac liberi amplexi, fletusque ab omni turbâ mulierum ortus et comploratio sui patriaeque fregere tandem virum. Complexus inde suos dimittit: ipse retro ab urbe castra movit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano, invidiâ rei oppressum perisse tradunt, alii alio leto. Apud Fabium, longē antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eundem invenio; refert certē hanc saepe eum exactâ aetate usurpasse vocem multo miserius seni exilium esse. Non inviderunt laude suâ mulieribus viri Romani — adeo sine obtrectatione gloriae alienae vivebatur — ; monumento quoque quod esset, templum Fortunae muliebri aedificatum dedicatumque est.

3.3.2 Cornelia, Aurelia, Atia (TACITUS, *Dialogus de oratoribus*)

Ut supra iam commemoravimus, liberi solebant usque ad septimum annum aetatis educari a matre suâ, postea a patre.

Hoc non semper sic factum est. Consideremus unum ex notissimis textibus de educatione Romanorum aetatis prioris scriptis, qui excerptus est e Taciti *Dialogo de oratoribus*. Ibidem **Messalla**, unus e colloquii participibus, causas affert eloquentiae corruptae, et diligentiam severam, quae a parentibus liberos educantibus adhiberi solebat aetate rei publicae (quam Messalla habetur pro genere quodam aetatis aureae)

acriter contraponit socordiae atque negligentiae parentium sui coequalium. Sed personam educandi praecipuam attribuit matri, quae nihil antiquius habuerit quam ut domum coleret et se dederet liberis suis educandis.

TAC.dial.28,3-29,1 ...ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradûs cumulantur, si prius de severitate ac disciplinâ maiorum circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. Nam pridem suus cuiusque filius, ex castâ parente natus, non in cellulâ emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. Eligebatur autem maior aliqua natio propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnes eiusdem familiae suboles committeretur; coram quâ neque dicere fas erat quod turpe dictu neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lusûsque puerorum sanctitate quâdam ac verecundiâ temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. Quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta unius cuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas et, sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus et alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus.

Messalla educationem maternam describens maximam vim attribuit disciplinae atque moribus quam optimis. Praeterea autem dicit etiam matrem filios adhortari, ut quam sedulê discant et ducere eosdem ad cursum honorum filiis aptissimum. Inde non necessario consequitur eam matrem ipsam docuisse liberos suos, quamquam multae matres romanae liberos saltim legendo et scribendo instituerunt, sed patet Romanas matres liberos erudivisse etiam post priores annos pueritiae. Verbis efferendum est in hâc contextu sermonis patres non commemorari. Huius rei in exemplis a Tacito allatis causa fuit peculiaris: Tres illae mulieres, quas Messalla affert exempla matrum excellentium, **Cornelia**, mater *Gracchorum* et **Aurelia**, mater *Gaii Iulii Caesaris* et **Atia**, mater *Augusti*, omnes fuerunt viduae matres familiarum iuvenes⁷¹.

3.4 Persona patris

3.4.1 Appius Claudius Caecus

Venio nunc ad personam, quam in educatione liberorum Romanâ gessit pater. Ad hanc rem tractandam legamus verba quae facit *Cicero* de Romano patre familias illustrissimo, qui iam senex praevetustus tamen adhuc summâ auctoritate paternâ rexit totam suam familiam⁷². Qui senex vivax fuit **Appius Claudius Caecus**, Viae Appiae constructor ingeniosus et optimê meritus:

CIC.Cato 11,37 Quattuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et caecus et senex, intentum enim animum tamquam arcum habebat nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed

⁷¹ **Cornelia** (Gracchi), **Aurelia** (Caesar), **Atia** (Augustus). v. Bonner, op.mem., p.15.

⁷² **CIC. Cato 11,37**

etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant; vigeat in illâ domo mos patrius et disciplina.



APPIUS CLAUDIUS CAECUS (ca.350-280 a.Chr.n.)

CIC.Cato 11,37 Quattuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et caecus et senex, intentum enim animum tamquam arcum habebat nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant; vigeat in illâ domo mos patrius et disciplina.

3.4.2 Patria potestas: Romanorum ius paternum

Quaerendum est, num vulgaris paterfamilias, etiam tertio saeculo a.Chr.n. tanto rigore, tantâ severitate et potestate fuerit quantâ fuit *Appius Claudius Caecus senex*. Hoc certê sic ut omnibus aetatibus pendebat ab indole et moribus patris peculiaribus. Sed dubium non est, quin *patria potestas*, id est potestas Romani patris erga liberos tanta fuit quanta in nullo populo antiquitatis alio; itaque *Gaius iuris peritus* scribit haec:

Item in potestate nostrâ sunt liberi nostri, quos iustis nuptiis procreavimus. Quod ius proprium civium Romanorum est. Ferê enim nulli alii sunt homines, qui talem in filios suos habent potestatem, quales nos habemus⁷³.

⁷³ GAIUS Inst. I 55; cf. IUSTINIAN. Inst. I, 9,2.

Patri non solum licuit filium filiamve post partum exponere; eidem licuit filium, qui quid peccaverat, aut abdicare aut in servitutem redigere aut curare flagris caedendum aut in carcerem iniciendum, immo, patri licuit filium necare⁷⁴. Omnia haec interdum facta sunt. Primo conspectu inde ius Romanorum paternum nobis videtur more illius *Draconis* excogitatum, sed usus huius iuris non semper tam durus fuit quam videtur. **Primo** pleraque exempla punitionis severissimae (quae ferê omnia facta sunt aetate rei publicae liberae) effecta sunt peccatis filii gravissimis, velut inoboedientiâ erga patrem imperium militare tenentem⁷⁵, aut seditione conflatâ aut attentatione in ipsum patrem factâ⁷⁶ aut ullo facinore alio, quo nomen familiae dehonestatum erat⁷⁷. **Secundo** filius delapsus non solebat damnari sine disquisitione iudiciali; sed causa fiebat iuridica in *foro domestico*⁷⁸. Ibidem ipse pater personam gerebat iudicis, cuius sententia erat definitiva. Sed fieri potuit, ut eius iudicium censoribus displiceret.

Nonnullis Graecis totum systema potestatis paternae Romanum videbatur tyrannicum. At e contrario *Dionysus historicus* ius Romanorum paternum maximê aestimans eius dignitatem efficaciamque praedicavit, compatriotarum sui praecepta mitiora atque laxiora vituperavit⁷⁹.

3.4.3 Quomodo liberi educati sint exemplis imitandis et devitandis

Nonnullis scaenis comoediae romanae persona patris eiusque difficultates, quales Romanae rei publicae liberae aetate esse solebant, demonstrantur.

74 **DIONYS. Ant.Rom. II 26,4.** [ὁ δὲ τῶν Ῥωμαίων νομοθέτης ἅπασαν ὡς εἰπεῖν ἔδωκεν ἐξουσίαν πατρὶ καθ' υἱοῦ καὶ παρὰ πάντα τὸν τοῦ βίου χρόνον, ἂν τε εἴργειν, ἂν τε μαστιγοῦν, ἂν τε δέσμιον ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἔργων κατέχειν, ἂν τε ἀποκτινύναι προαιρῆται, κἂν τὰ πολιτικὰ πράττων ὁ παῖς ἤδη τυγχάνῃ κἂν ἐν ἀρχαῖς ταῖς μεγίσταις ἐξεταζόμενος κἂν διὰ τὴν εἰς τὰ κοινὰ](#)

75 **LIV. 8,7 IMPERIUM MANLIANUM:** Quae ubi frequens convenit, 'quandoque' inquit, 'tu, T. Manli, neque imperium consulare neque maiestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti et, quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, solvisti meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut rei publicae mihi aut mei obliviscendum sit, nos potius nostro delicto plectemur quam res publica tanto suo damno nostra peccata luat; triste exemplum sed in posterum salubre iuventuti erimus. Me quidem cum ingenua caritas liberum tum specimen istud virtutis deceptum vana imagine decoris in te movet; sed cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia aut impunitate in perpetuum abroganda, nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam poena restituas – i, lictor, deliga ad palum'. Exanimati omnes tam atroci imperio nec aliter quam in se quisque destrictam cernentes securem metu magis quam modestia quieverunt. Itaque velut demerso ab admiratione animo cum silentio defixi stetissent, repente, postquam cervice caesa fusus est cruor, tam libero conquestu coortae voces sunt, ut neque lamentis neque execrationibus parceretur spoliisque contactum iuvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremaretur, **Manlianaque imperia** non in praesentia modo horrenda sed exempli etiam tristes in posterum essent. [8] Fecit tamen atrocitas poenae oboedientiore duci militem; et praeterquam quod custodiae vigiliaeque et ordo stationum intentionis ubique curae erant, in ultimo etiam certamine, cum descensum in aciem est, ea severitas profuit. Fuit autem civili maxime bello pugna similis; adeo nihil apud Latinos dissonum ab Romana re praeter animos erat.

76 **DIONYS. Ant.Rom. VIII 79; VAL.MAX.V,8,2, sed cf. LIV.II 41,10-11; SEN. Clem. I,15,2**

77 **SALL. Cat.39,5; VAL.MAX.V 8,3.**

78 v. **R. Düll**, in: Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte, Romanistische Abteilung, Weimar (Böhlau) LXIII (1943), p.54 sqq.

79 **DIONYS. Ant.Rom. II 26.**

3.4.3.1 PLAUTUS, *Trinummus* 295sqq.

In comoediâ, c.t. „*Trinummus*“, Plautus *Philonem patrem* inducit agentem severo more maiorum *Lysitelem filium* admonentem, ne agat cum hominibus morum faeceorum atque turbidorum, qui negligent mores maiorum:

Meo modo et moribus vivito antiquis, quae ego tibi praecipio,/ ea facito.

Nil ego istos moror faeces mores, turbidos, quibus boni/ dedecorant se.

LY. Semper ego usque ad hanc aetatem ab ineunte adolescentiâ
tuis servivi servitute imperiis, (et) praeceptis, pater.

3.4.3.2 TERENTIUS, *Adelphoe* 414sqq. (*Demea, Iambi senarii*)

In *Adelphis* Terentii *Demea*, vir rusticus disciplinae atque auctoritati maximam vim attribuens gloriatur de efficaciâ methodorum, quibus utitur ad filium educandum. *Demea* adhuc nescit filium suum clam vitam agere lascivam.

TER. *Adelph.*414sqq.

...denique/ inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium
iubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi:

„Hoc facito“. SY. Rectê sanê. DE. „Hoc fugito“. SY. Callidê.

De. „Hoc laudist.“ SY. Istaec res est. DE. „Hoc vitio datur.“

SY. Probissimê.

PATRIA POTESTAS



Consul Titus Manlius Torquatus: Imperium Manlianum

Pinxit Ferdinand Bol a.1661-1663. Amstelodami, in museo, q.d. [Rijksmuseum](http://www.rijksmuseum.nl).



Iohannes Hermannus de Katte (1704-1730) succenturio Borussus exspectans supplicium sui capitale. Per fenestram aspicitur a **Friderico iuvene filio Regis Borussiae**, amico suo amantissimo et desperatissimo, qui voluit Katteo adiuvante aufugere in Francogalliam, ut evitaret educationem patris severissimam sibi exosam. Fridericus a patre coactus est, ut supplicium amici aspectaret; Rex primo voluerat utrumque iuvenem capitis damnari. Iudices autem dixerunt damnationem Principis Friderici non spectare ad munus suum; Katteum damnaverunt ad custodiam perennem, sed Rex poenam etiam duriorem fecit. Ecce **Régis Borussiae Friderici Vilelmi I.** (1688-1740) **IMPERIUM MANLIANUM.**

3.4.3.3 Horatius quomodo educatus sit a patre suo

(HORATIUS sermones I 4,105-129)

Horatius in Saturâ suâ sextâ libri primi (HOR.serm.I 6,71-92) verbis, quibus describit, quomodo a patre suo educatus sit, tangit animum nostrum. Nam pater *coactor exactionum*⁸⁰ quamquam modicum tantum victum sibi comparat, tamen naviter studet, ut Horatius quam optimê erudiatur et protegatur ab irrisione puerorum, qui sunt filii hominum opulentiorum. Poeta affirmat numquam sibi pudori fuisse, quod pater suus esset vir pauper atque simplex et sibi gratias referendas esse patri, quia sine eo res sibi non successisset. In saturâ quartâ libri alterius (HOR. serm.I 4,105-129) poeta narrat, quomodo a patre eo monitus sit, ut probê viveret, quod exemplis sibi bene nôtis explicabat, quid Horatio agendum et quid evitandum esset:

... . . . insuevit pater optimus hoc me,
ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.
Cum me hortaretur, parcê, frugaliter, atque

⁸⁰ theodiscê: *Versteigerungsagent, Kassierer von Auktionsgeldern.*

viverem uti contentus eo quod mi ipse parasset,
*,nonne vides Albi ut male vivat filius, utque
 Baius inops? Magnum documentum ne patriam rem
 perdere quis velit?'*: a turpi meretricis amore
 cum deterreret, *,Scetani dissimilis sis'*:
 ne sequerer moechas, concessâ cum venere ūti
 possem, *,deprensî non bella est fama Treboni'*
 aiebat: *,sapiens, vitatu quidque petitu
 sit melius, causas reddet tibi: mi satis est si
 traditum ab antiquis morem servare tuamque,
 dum custodis eges, vitam famamque tueri
 incolumem possum: simul ac duraverit aetas
 membra animumque tuum, nabis sine cortice.'* Sic me
 formabat puerum dictis: et sive iubebat
 ut facerem quid, *,habes auctorem quo facias hoc'*;
 unum ex iudicibus selectis obiciebat:
 sive vetabat, *,an hoc inhonestum et inutile factu
 necne sit addubites, flagret rumore malo cum
 hic atque ille?'* Avidos vicinum funus ut aegros
 exanimat mortisque metu sibi parcere cogit,
 sic teneros animos aliena opprobria saepe
 absterrent vitiis.

3.4.4 Patrimonia patrum (TERENTIUS, HEAUTONTIMORUMENOS)

In Terentianâ **comoediâ** *Heautontimorumeni* (Ἐαυτὸν τιμωρούμενος, i.q. *Ipse se puniens*) Chremes senex de patrum auctoritate et parsimonia dicit haec (TER.Heaut.201sqq., iambi octonarii):

Fortasse aliquando iniquior erat praeter eius lubidinem:
 pateretur: nam quem ferret si parentem non ferret suum?
 Huncin erat aequom ex illius more an illum ex huius vivere?
 Et quod illum insimulat durum id non est; nam parentum/ iniuriae
 unius modi sunt fermê, paullo qui est homo tolerabilis:
 scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivariet,
 praebent exiguê sumptum; atque haec sunt tamen ad virtu-/tem omnia.
 Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit malâ,
 necessest, Clitipho, consilia consequi consimilia. Hoc
 scitumst: periculum ex aliis face tibi quod ex usu siet.

Patet his verbis describi morem patris Romani aetatis rei publicae liberae typici. De parsimoniâ virtute Romani patrisfamilias unâ ex praestantissimis iam diximus; Polybius verbis effert quam accuratê calculaverint computaverintque Romani ipsâ in aetate Terentii; Cicero loquitur de *parsimoniâ patrum*⁸¹.

3.4.5 Educatio vetandi et educatio permittendi (TERENTIUS, Adelphoe)

Sed revertamur ad comoediam *Adelphorum*. Hac in fabulâ theatricâ, quâ tractantur duae methodi educandi inter se maximê contrariae, Terentius *Micioni* patri *leni* (ut

81 CIC. *Pro Caelio* 16,38: parsimonia patrum. cfr POLYB. XXXI 27,10-11.

sermone moderno loquamur: „*permissivo*“ sive „*anti-auctoritario*“ contraponit **Demeam** durum patrem, quorum principia educandi supra iam cognovimus. Quid Micioni videtur de liberis educandis? Legamus verba, quae faciens *Micio* a Terentio inducitur:

TER.Adelph.I 1,68 sqq. (iambi senarii)

Mea sic est ratio et sic animum induco meum:

mala coactus qui suum officium facit,
dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.
Ille quem beneficio adiungas ex animo facit,
studet par referre, praesens absensque idem erit.
Hoc patriumst, potius consuefacere filium
suâ sponte recte facere quam alieno metu:
hoc pater ac dominus interest. Hoc qui nequit
fateatur nescire imperare liberis.

Quamquam Demea durus pater fabulâ procedente spectatori semper se praebet animo pertinaci atque obstinato praeditum et Micione adversario suo inferiorem, tamen a *Terentio* in fine fabulae inducitur superior evadens. Ergo denique ratio educandi dura et auctoritaria superat lenem et liberalem et permissivam. Patet hîc in fine fabulae *Terentium* non secutum esse exemplum *Menandri*, a quo argumentum fabulae recepit: Nam in fabulâ graecâ (quae nobis non est relicta) videtur *Micio* superior evasisse. Verisimile est *Terentium* poetam argumentum huius comoediae accommodasse ad expectationes spectatorum Romanorum⁸².

Itaque in fine fabulae inducit severum patrem familias Micioni fratri eiusque filio *Aeschini* dicentem:

TER.Adelph.986 (trochaei septenarii)

Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivom putant,
id non fieri ex verâ vitâ neque adeo ex aequo et bono,
sed ex adsentando indulgendo et largiendo, *Micio*.

Nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita invisâ, *Aeschine*,/est,
quia non iusta iniusta, prorsus omnia omnino obsequor,
missa facio: effundite, emite, facite quod vobis lubet.

Sed si voltis potius, quae vos propter adolescentiam
minus videtis, magis impensê cupitis, consulitis parum,
haec reprehendere et corrigere me et secundare in loco,
ecce me qui faciam vobis ...

3.4.6 Pater educator et magister: CATO eiusque filius (PLUTARCHUS)

⁸² Aliter Bonner, op.mem., S.19, cui hîc loco non assentior (qui putat fabula exeunte neutrum patrem evadere superiorem, sed spectatori patefieri *in medio stare virtutem*, id est optimam methodum educandi esse mediam Micionis et Demeae methodis interpositam. Reverâ *Demea* a Terentio inducitur dicens verbum ultimum, eiusdemque opinio ad educationem spectans ad verum adducitur!

Proximo autem loco legamus relationem, quâ agitur de educationis paternae exemplo illustrissimo: Legamus, quomodo *Cato maior* (234-149 a.Chr.n.), cuius opus de agriculturâ scriptum iam commemoravimus, educaverit filium suum *Licinianum*. *Plutarchus* Graecus philosophus et biographus (ca.45-125 nC) dilucidê atque lepidê describit, quantâ cum diligentîâ Cato studuerit filii sui et corpori exercendo et animo erudiendo.

PLUTARCHUS, Cato maior 20. (1) Fuit praeterea bonus etiam pater, bonus maritus et in re familiari augendâ non negligens, neque id negotium ut exiguum aut supervacaneum perfunctoriê tractavit. Itaque de his etiam puto, quantum expedit, disserendum. (2) Uxorem duxit nobiliorem quam locupletiolem, ita censens, cum utrâque nonnihil habeat gravitatis atque spirituum, tamen nobiles turpitudinis verecundiâ maritis ad honestas res libentius obsequi. **(3) Qui uxorem aut liberos feriret, eum sanctissimis sacris manum afferre dicebat.** (4) Maioris sibi laudis videri, bonum esse maritum, quam magnum senatorem: neque se alio nomine magis admirari Socratem veterem, quam quod mulierem morosam et liberos stupidos nactus, perpetuo aequitate animi et mansuetudine usus sit. (5) Nato sibi filio, nullum negotium nisi publicum magis necessarium duxit, quam ut uxori eum lavanti et fasciis involventi astaret. Ipsa enim suo eum lacte enutriit: Saepe servorum quoque infantibus admovit, ut commune nutrimentum eos filio benevolos redderet. (6) Ut institutioni aptus esse coepit puer, ipse eum Cato litteras docuit, quamquam domi suae servum Chilonem habebat, grammaticum non inscitum, et qui multos pueros institueret. (7) Indignum autem putavit, ut ipse ait, filium a servo obiurgari, aut si tardius didicisset, auriculâ trahi, ac tantae institutionis gratiam mancipio debere. Itaque ipse filium litteras, ipse lêges docuit, ipse exercuit, non modo in iaculo mittendo, depugnandove in armis et equitando, sed et pugno comminus inferendo, tolerando aestu et frigore, vorticesque fluminis et gurgites natatione superando. (8) Ac propterea inquit se historias suapte manu et maiusculis litteris conscripsisse, ut filius ab ineunte aetate haberet, unde patriae et maiorum res suo cum fructu perdisceret. Praesente filio, non minus verecundê, quam si adessent Vestales, ab obscenis dictis sibi temperasse, neque umquam unâ cum eo lavisse. (9) Hic sane mos omnibus videtur fuisse Romanis communis: Nam generi, pudorem nudandi corporis servantem, communia cum soceris lavacra vitarunt. (10) Post ubi de Graecis corporum nudationem didicerunt, illos vicissim cum mulieribus unâ lavari docuere. (11) Cato filium suum tam egregiê ad virtutem fingens atque efformans, cum eum discere summo studio et animum propter indolem obtemperare, corpus autem ad laborem mollius animadverteret, nimis duram ei et tenuem victûs rationem paulum remisit. (12) Verum is nihilominus strenuus in proelio evasit et Paulo duce nobilis eius fuit contra Perseum pugna. (13) Cum quidem dolore commotus, quod gladius ei ictu excussus, deque manibus madefactis elapsus fuisset, sociorum aliquot suorum ascitis denuo in hostes impetum fecit, ac post magnum certamen et laborem loco eo vacuefacto, gladium vix tandem inter acervos armorum corporumque tam sociorum quam hostium invênit. (14) Eius facinoris causâ Paulus iuvenem admiratus est: et fertur ipsius Catonis ad filium epistula, mirificê id eius in gladio recipiendo studium et conatum laudantis. (15) Post Tertiam Pauli filiam Cato iunior duxit, Scipionis sororem; non minus iam sui ipsius, quam patris causâ, in tantam familiam assumptus. Ita Catonis in filio educando studium dignos est fructûs consecutum⁸³.

83 cfr textus originalis: **PLUT. Marcus Cato 20 (1)** Γέγονε δὲ καὶ πατὴρ ἀγαθὸς καὶ περὶ γυναῖκα χρηστὸς ἀνὴρ καὶ χρηματιστὴς οὐκ εὐκαταφρόνητος οὐδ' ὥς τι μικρὸν ἢ φαῦλον ἐν παρέργῳ μεταχειρισάμενος τὴν τοιαύτην ἐπιμέλειαν. Ὅθεν οἶομαι δεῖν καὶ περὶ τούτων ὅσα καλῶς ἔχει διελεῖν. (2) Γυναῖκα μὲν γὰρ εὐγενεστέραν ἢ πλουσιωτέραν ἔγημεν, ἠγούμενος ὁμοίως μὲν ἀμφοτέρως ἔχειν βάρος καὶ φρόνημα, τὰς δὲ γενναίας αἰδουμένας τὰ αἰσχρὰ μᾶλλον ὑπήκτους εἶναι πρὸς τὰ καλὰ τοῖς γεγαμηκόσι. (3) Τὸν δὲ τύπτοντα γαμέτην ἢ παιῖδα τοῖς ἀγιοτάτοις ἔλεγεν ἱεροῖς προσφέρειν τὰς χεῖρας. (4) Ἐν ἐπαίνῳ δὲ μείζονι τίθεσθαι τὸ γαμέτην ἀγαθὸν ἢ τὸ μέγαν εἶναι συγκλητικόν· Ἐπεὶ καὶ Σωκράτους οὐδὲν ἄλλο θαυμάζειν τοῦ παλαιοῦ πλὴν ὅτι γυναικὶ χαλεπῇ καὶ παισὶν ἀποπλήκτοις χρώμενος ἐπιεικῶς καὶ πρῶως διετέλεσε. (5) Γενομένου δὲ τοῦ παιδὸς οὐδὲν ἦν ἔργον οὕτως ἀναγκαῖον, εἰ μὴ τι δημόσιον, ὥς μὴ παρεῖναι τῇ γυναικὶ λουούσῃ καὶ σπαργανούσῃ τὸ βρέφος. Αὕτη γὰρ ἔτρεφεν ἰδίῳ γάλακτι· πολλάκις δὲ καὶ τὰ τῶν δοῦλων

O quam decôra educatio Catoniana! Si recordamur *Horatii Orbilium plâgosum* et ea, quae *Quintilianus* et *Augustinus* et alii nobis narrant de castigatione puerorum crudeli, laeto cum stupore legimus Catonis severi senatoris de uxore et liberis tractandis verba humanissima: **Qui uxorem aut liberos feriat, eum sanctissimis sacris manum afferre.** At nos homines moderni eo vehementius indignamur legentes illa verba Catonis durissima et iniquissima de iure mariti erga uxorem facta, quae a Gellio traduntur: **marito ius esse uxorem adulterantem si deprehenderit, occidendi. Sed si maritus adulteret, illi non ius esse maritum digito contingere!**^{83a} - Sed admirabile est studium Catonis filii educandi tantum fuisse, ut îdem senator dignus et honestus sibi non temperaret, quin uxori astaret filiolum lavanti et fasciis involventi. Perplacet nobis, quanto cum labore, quantâ cum diligentîâ Cato studuerit et corpori filii exercendo et animo erudiendo. Ad usum filii sui scripsit encyclopaediam necnon eundem docuit *Ius Romanum*, imprimis *lêges quattuordecim tabularum*, sed etiam commentarium ad easdem pertinentem, quem scripserat *Aelius Sextus*. Itaque haud mirum est Catonis filium postea factum esse *iuris peritum* et auctorem *operis iuridici*, quod complexum est 15 libros⁸⁴. Ergo non sôlum *fortitudine*, quam filius in illo proelio praestitit, sed etiam opere filii iuridico sat superque demonstratum est, quam salutariter efficeret *educatio Catoniana*.

παιδάρια τῷ μαστῷ προσιεμένη, κατεσκευάζεν εὐνοίαν ἐκ τῆς συντροφίας πρὸς τὸν υἱόν. (6) Ἐπει δ' ἤρξατο συνιέναι, παραλαβὼν αὐτὸς ἐδίδασκε γράμματα. Καίτοι χαρίεντα δοῦλον εἶχε γραμματιστὴν ὄνομα Χίλωνα, πολλοὺς διδάσκοντα παῖδας· (7) οὐκ ἤξιον δὲ τὸν υἱόν, ὡς φησὶν αὐτός, ὑπὸ δούλου κακῶς ἀκούειν ἢ τοῦ ὠτὸς ἀνατείνεσθαι μανθάνοντα βράδιον, οὐδέ γε μαθήματος τηλικούτου τῷ δούλῳ χάριν ὀφείλειν, ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἦν γραμματιστής, αὐτὸς δὲ νομοδιδάκτης, αὐτὸς δὲ γυμναστής, οὐ μόνον ἀκοντίζειν οὐδ' ὀπλομαχεῖν οὐδ' ἵππεύειν διδάσκων τὸν υἱόν, ἀλλὰ καὶ τῇ χειρὶ πῦξ παίειν καὶ καῦμα καὶ ψῦχος ἀνέχεσθαι καὶ τὰ δινώδη καὶ τραχύνοντα τοῦ ποταμοῦ διανηχόμενον ἀποβιάζεσθαι. (8) Καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδία χειρὶ καὶ μεγάλως γράμματα, ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχοντι τῷ παιδί πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι· τὰ δ' αἰσχρὰ τῶν ῥημάτων οὐχ ἤττον εὐλαβεῖσθαι τοῦ παιδὸς παρόντος ἢ τῶν ἱερῶν παρθένων ἅς Ἐστιάδας καλοῦσι· συλλοῦσασθαι δὲ μηδέποτε. (9) καὶ τοῦτο κοινὸν εἶκε Ῥωμαίων ἔθος εἶναι· καὶ γὰρ πενθεροὶ γαμβροῖς ἐφυλάττοντο συλλοῦεσθαι, δυσωπούμενοι τὴν ἀποκάλυψιν καὶ γύμνωσιν. εἶτα μέντοι παρ' Ἑλλήνων τὸ γυμνοῦσθαι μαθόντες, (10) αὐτοὶ πάλιν τοῦ καὶ μετὰ γυναικῶν τοῦτο πράσσειν ἀναπεπλήκασιν τοὺς Ἕλληνας. (11) οὕτω δὲ καλὸν ἔργον εἰς ἀρετὴν τῷ Κάτωνι πλάττοντι καὶ δημιουργοῦντι τὸν υἱόν, ἐπει τὰ τῆς προθυμίας ἦν ἄμεμπτα καὶ δι' εὐφύιαν ὑπήκουεν ἢ ψυχῇ, τὸ δὲ σῶμα μαλακώτερον ἐφαίνετο τοῦ πονεῖν, ἐπανήκεν αὐτῷ τὸ σύντονον ἄγαν καὶ κεκολασμένον τῆς διαίτης. (12) ὁ δὲ καίπερ οὕτως ἔχων ἀνὴρ ἀγαθὸς ἦν ἐν ταῖς στρατείαις, καὶ τὴν πρὸς Περσέα μάχην ἠγωνίσαστο λαμπρῶς Παύλου στρατηγούντος. (13) εἶτα μέντοι τοῦ ξίφους ἐκκρουσθέντος ὑπὸ πληγῆς ἢ δι' ὑγρότητα τῆς χειρὸς ἐξολισθόντος, ἀχθεσθεὶς τρέπεται πρὸς τινὰς τῶν συνήθων, καὶ παραλαβὼν ἐκείνους αὐτὸς εἰς τοὺς πολεμίους ἐνέβαλε. πολλῶ δ' ἀγῶνι καὶ βίᾳ μεγάλῃ διαφωτίσας τὸν τόπον, ἀνεῦρε μόγις ἐν πολλοῖς σάγμασιν ὄπλων καὶ σώμασι νεκρῶν ὁμοῦ φίλων τε καὶ πολεμίων κατασεσωρευμένων. (14) ἐφ' ᾧ καὶ Παῦλος ὁ στρατηγὸς ἠγάσθη τὸ μειράκιον, καὶ Κάτωνος αὐτοῦ φέρεται τις ἐπιστολὴ πρὸς τὸν υἱόν, ὑπερφυῶς ἐπαινοῦντος τὴν περὶ τὸ ξίφος φιλοτιμίαν αὐτοῦ καὶ σπουδὴν. (15) ὕστερον δὲ καὶ Παύλου θυγατέρα Τερτίαν ἐγήμεν ὁ νεανίας, ἀδελφὴν Σκιπίωνος, οὐχ ἤττον ἢ δὴ αὐτὸν ἢ τὸν πατέρα καταμειγνύμενος εἰς γένος τηλικούτου. ἢ μὲν οὖν περὶ τὸν υἱόν ἐπιμέλεια τοῦ Κάτωνος ἄξιον ἔσχε τέλος.

83a cfr GELLIUS *Noctes Atticae* X 23,4-5: Verba Marci Catonis adscripta ex oratione quae inscribitur De Dote, in qua id quoque scriptum est, in adulterio uxores deprehensas ius fuisse maritis necare: “Vir,” inquit, “cum divortium fecit, mulieri iudex pro censore est, imperium quod videtur habet, si quid perverse taetrêque factum est a muliere; (5) multatur, si vinum bibit; si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.” De iure autem occidendi ita scriptum: “**In adulterio uxorem tuam si prehensisses, sine iudicio inpune necares; illa te, si adulterares sive tu adulterarere, digito non auderet contingere, neque ius est.**”

84 *Filius Catonis* factus est iurisperitus, scripsit commentarios iuridicos. cfr Schanz-Hosius I 79.

Certê raro fieri potuit, ut pater filium suum tam diligenter tamque universaliter educaret atque erudiret quam Cato. Verisimile est patres Romanos plerumque non tanto spatio temporis usos esse ad filios suos educandos. Historici quidem adnotant nonnullis locis iam diu ante Catonem educationi paternae magnam vim attributam esse, e.g. *Valerius Maximus* tradit dictatorem anni 431 a.Chr.n. filium suum ipsum instituisse puerum litteris et iuvenem usu armorum⁸⁵, et *Livius* describit tribunum militarem anni 396 a.Chr.n., qui filium suum commendat successorem sui, qui iuvenis a se ipso institutus esset⁸⁶. **Plinius minor** in memoriam revocat dies reipublicae Romanae prioris, quibus senatores primo stipendio facto filiis propriis explicaverunt, quid agendum esset senatori, quae privilegia habeat, quando et quamdiu eidem loquendum esset eqs. In his rebus explicandis omnem patrem fuisse magistrum filii sui, aut, si pater defuit, senatorem maximum natu vices patris gessisse⁸⁷.

Duabus autem de causis plerique Romani patres familias non potuerunt tanti vacare liberis educandis quanti Cato. *Primo* fuit *Cato Licinianus* filius Catonis maioris unicus; tales autem filii Romae fuerunt rarissimi. *Secundo* Cato iam habuit 42 annos, cum filius ei nasceretur (a.192 a.Chr.n.); ergo educatio filii facta est spatio annorum, quod interfuit annis aetatis paternae quadragesimo septimo et quinquagesimo septimo. Quâ aetate Cato non iam debuit militiam gerere. At quia plerique plerique Romani patres familias fuerunt minores natu, saepe non fuerunt domi.

3.4.7 Protectio adulescentium Catoniana: amandatio philosophorum (PLUT. Cato 22 sq.)

Anno 156/155 a. Chr. Romam vênit legatio Atheniensium. Quae constitit ex praeceptoribus scholarum philosophicarum Atheniensium. Stoa praefuit Diogenes Babylonius, Peripato Critolaos, Academiae Carneades. His legatis mandatum erat, ut Romae assequerentur multae deminutionem, quam Romani Atheniensibus imposuerant propter urbis Oropi occupationem. Cum diutius disceptaretur, Carneades horis subsicivis faciebat acroases. Quodam die idem Academicus locutus est »pro« iustitia, id est pro iustitia, quae utilitati non obnoxia petenda est. At postridie haud minus persuasibiliter defendit thesin contrariam, id est loquitur »contra« iustitiam: nunc Carneades contendit iustitiam non posse congrui cum utilitate. Tantam artem rhetoricam et ingenium tam versatile Romani numquam antea experti erant. Itaque

85 VAL.MAX. II 7,6.

86 LIV. V 18,5.

87 PLIN.ep. VIII 14,4-6. (4) Erat autem antiquitus institutum, ut a maioribus natu non auribus modo verum etiam oculis disceremus, quae facienda mox ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. (5) Inde adulescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur ut imperare pariendo, duces agere dum sequuntur adsuescerent; inde honores petitori adsistebant curiae foribus, et consilii publici spectatores ante quam consortes erant. (6) Suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat maximus quisque et vetustissimus pro parente. Quae potestas referentibus, quod censentibus ius, quae vis magistratibus, quae ceteris libertas, ubi cedendum ubi resistendum, quod silentii tempus, quis dicendi modus, quae distinctio pugnantium sententiarum, quae exsecutio prioribus aliquid addentium, omnem denique senatorium morem (quod fidissimum percipiendi genus) exemplis docebantur.

iuvenes affluebant ad acroases Carneadis audiendas ita ut olim iuvenes Athenienses ad sophistam Protagoram.

At Cato strictê et pertinaciter recusat acroases philosophorum. Nam timet, ne istae, praesertim acroasis Carneadis, noceant moribus iuventutis Romanae. Legamus ea quae refert Plutarchus!

Plutarchus, Cato Maior 22sq. XXII. Quum iam ad senectutem pervenisset Cato, legati Atheniensium Romam venerunt, Carneades Academicus et Diogenes Stoicus, deprecatum multam, quae Atheniensium populo quingentorum talentorum erat dicta a Sicyoniis, cum ii postulati ab Oropiis in iudicio non comparuissent. (2) Itaque statim adolescentum studiosissimi quique litterarum viros illos accesserunt, audientesque eos in admiratione habuerunt. (3) Maximê autem Carneadis in dicendo gratia, cuius magna vis et ea vi non minor erat auctoritas, magnos nacta et humanos auditores venti instar urbem personabat. (4) Et fama tenebat, Graecum virum ad stuporem usque ad percellendos hominum demulcendosque animos aptum, vehementem apud iuvenes amorem excitare, quo correpti, omissis voluptatibus reliquisque oblectationibus, quasi furore quodam ad philosophiam ferrentur. (5) Haec reliquis Romanis accepta erant, filiosque suos disciplinis Graecis operam dare et cum viris summae existimationis versari gaudebant; Cato autem ab initio statim aegrê ferebat studium philosophiae in urbem invadere, veritus ne studio suo ad philosophiam adiuncto adolescentes ex sermonibus potius quam agendis rebus et militiâ, decus sibi quaerere intenderent. Ubi per urbem gloria philosophorum increbruit, primosque eorum ad senatum sermones C. Acilius vir illustris est interpretatus, quod ut sibi liceret, magno studio impetraverat, statuit Cato honestê philosophos ab urbe amandare. (6) Quam ob rem in senatum ivit et magistratûs incusavit, quod legationem eorum virorum, qui facile persuadere de quacumque re possent, tam diu in urbe, re infectâ, desidêre passi essent: cognoscendum aliquid quamprimum et discernendum de legatione, ut legati ad scholas reversi apud pueros Graecos disserant, Romani vero adolescentes magistratûs, ut ante, et lêges audiant.

XXIII. Errant qui eum Carneadis odio id fecisse putant: universam enim philosophiam invisam habuit et ambitione quadam omnes Graecas artes atque disciplinas contempsit.

Nam et Socratem loquacem et violentum fuisse dicit atque quovis modo ad tyrannidem contendisse, evertendis patriae moribus, civibusque in opiniones legibus contrarias pertrahendis⁸⁸.

88 **PLUT. Cato maior 22 sq. XXII.** Ἡδὴ δὲ γέροντος αὐτοῦ γεγονότος, πρέσβεις Ἀθήνηθεν ἦκον εἰς Ῥώμην οἱ περὶ Καρνεάδην τὸν Ἀκαδημαϊκὸν καὶ Διογένη τὸν Στωικὸν φιλόσοφοι, καταδίκην τινὰ παραιτησόμενοι τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, ἣν ἐρήμην ὄφλον Ὠρωπίων μὲν διωξάντων, Σικυωνίων δὲ καταψηφισαμένων, τίμημα ταλάντων πεντακοσίων ἔχουσαν. [2] εὐθὺς οὖν οἱ φιλολογώτατοι τῶν νεανίσκων ἐπὶ τοὺς ἄνδρας ἴεντο καὶ συνῆσαν, ἀκροώμενοι καὶ θαυμάζοντες αὐτούς. μάλιστα δ' ἡ Καρνεάδου χάρις, ἥς δύναμις τ' «ἦν» πλείστη καὶ δόξα τῆς δυνάμεως οὐκ ἀποδέουσα, μεγάλων ἐπιλαμβανομένη καὶ φιλανθρώπων [3] ἀκροατηρίων ὡς πνεῦμα τὴν πόλιν ἠχῆς ἐνέπλησε, καὶ λόγος κατεῖχεν, ὡς ἀνὴρ Ἕλληνας εἰς ἔκπληξιν ὑπερφυῆς πάντα κηλῶν καὶ χειρούμενος ἔρωτα δεινὸν ἐμβέβληκε τοῖς νέοις, ὅφ' οὐ τῶν ἄλλων ἡδονῶν καὶ διατριβῶν [4] ἐκπεσόντες ἐνθουσιῶσι περὶ φιλοσοφίαν. ταῦτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἤρεσκε Ῥωμαίοις γινόμενα, καὶ τὰ μειράκια παιδείας Ἑλληνικῆς μεταλαμβάνοντα καὶ συνόντα θαυματούχοις [5] ἀνδράσιν ἡδέως ἐώρων· ὁ δὲ Κάτων ἐξ ἀρχῆς τε τοῦ ζήλου τῶν λόγων παραρρέοντος εἰς τὴν πόλιν ἦχθετο, φοβούμενος μὴ τὸ φιλότιμον ἐνταῦθα τρέψαντες οἱ νέοι τὴν ἐπὶ τῷ λέγειν δόξαν ἀγαπήσωσι μᾶλλον τῆς ἀπὸ τῶν ἔργων καὶ τῶν στρατειῶν· ἐπεὶ δὲ προὔβαινε ἡ δόξα τῶν φιλοσόφων ἐν τῇ πόλει, καὶ τοὺς πρώτους λόγους αὐτῶν πρὸς τὴν σύγκλητον ἀνὴρ ἐπιφανῆς σπουδάσας αὐτὸς καὶ δεηθεὶς ἡρμήνευσε Γάιος Ἀκίλιος, ἔγνω μετ' εὐπρεπείας ἀποδιοπομπήσασθαι τοὺς φιλοσόφους [6] πάντας ἐκ τῆς πόλεως, καὶ παρελθὼν εἰς τὴν σύγκλητον ἐμέμψατο τοῖς ἄρχουσιν, ὅτι πρεσβεία κἀθηται πολὺν χρόνον ἄπρακτος ἀνδρῶν, οἱ περὶ παντὸς οὐ βούλοιντο [7] ῥαδίως πείθειν δύνανται· δεῖν οὖν τὴν ταχίστην γινῶναι τι καὶ ψηφίσασθαι περὶ τῆς πρεσβείας, ὅπως οὗτοι μὲν ἐπὶ τὰς σχολὰς τραπόμενοι διαλέγονται παισὶν Ἑλλήνων, οἱ δὲ Ῥωμαίων νέοι τῶν νόμων καὶ τῶν ἀρχόντων ὡς πρότερον ἀκούωσι.

XXIII. Ταῦτα δ' οὐχ (ὡς ἐνιοὶ νομίζουσι) Καρνεάδῃ δυσχεράνας ἐπραξεν, ἀλλ' ὅλως φιλοσοφία προσκεκρουκῶς, καὶ πᾶσαν Ἑλληνικὴν μούσαν καὶ παιδείαν ὑπὸ φιλοτιμίας προπηλακίζων, ὅς γε καὶ Σωκράτη φησὶ ἄλλον γενόμενον καὶ βίαιον ἐπιχειρεῖν, ὃ τρόπῳ δυνατὸς ἦν, τυραννεῖν τῆς πατρίδος, καταλύοντα τὰ ἔθη καὶ πρὸς ἐναντίας τοῖς νόμοις δόξας ἔλκοντα καὶ μεθιστάντα τοὺς [2] πολίτας.

Romani orationibus Carneadis non eo tantum obstupuerunt quod numquam antea orationem audiverant tantâque cum arte et tanto cum fervore habitam, sed excitati sunt vehementissimê argumento, quo philosophus in dubium vocavit Imperii Romani iustitiam. Itaque Carneades animae auditorum inseruit aculeum, qui haud facilis erat extractu. Idem Academicus de utilitatis et iustitiae discrepantia loquens utitur argumentis, quibus sophistae iam pridem usi erant. Quae sunt argumenta illa stultitiae iustorum, Socratis animi ab utilitate profanâ remotissimi, hominum amore sui ipsius imbutorum, qui naturâ nihil umquam petunt nisi commodum proprium. Homo iustus est stultus. Ad hoc demonstrandum Carneades exempla affert e vitâ privatâ et publicâ sumpta. Num quem hominem, ex cuius morte utilitatem capies, certiolem facias ibi, ubi est consessus, latère aspidem venenosam (de fin. II, 59)? Num venditor domus dicat emptori domum esse morbo infectam? Si hoc dicit, est quidem vir »probus« sed etiam habetur stultus (de re publ. III, 19). Nulla res est tam insignis contrarietate utilitatis et iustitiae quam politica. Carneades affirmat prudentiam civilem eo patère, quod »omni modo potestas augeatur, divitiae amplificentur, limites imperii dilatentur«. At e contrario iustitiam postulare, ut »omnibus parcatur, ut curetur genus humanum, ut suum cuique detur, ne tangantur sancta, publica, aliena - (de re publ. III, 15). At quidnam Roma nondum »attingit«? Consentaneum est, ut haec argumentatio possit ad Romam adhiberi. Conclusio Carneadis est haec quae sequitur:

CARNEADES apud Lactantium, Divinae Institutiones V, 16,5. Omnibus populis qui florerent imperio Romani quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum et in egestate ac miseris iacendum.

Haec hactenus de acroasi philosophicâ, quam Carneades fecit coram adolescentibus Romanis, qui animis inflammatis audiverunt, quid is diceret de iustitiâ deque utilitate inter se contrariis necnon de divitiis Romanorum non nisi iniustitiâ collectis. Modo apud Plutarchum lêgimus, quid Cato fecisset de orationibus philosophorum certior factus:

Qui statuit honestê philosophus ab urbe amandare. Quam ob rem in senatum ivit et magistratûs incusavit, quod legationem eorum virorum, qui facile peruadere de quacumque re possent, tam diu in urbe, re infectâ, desidère passi essent: cognoscendum aliquid quamprimum et discernendum de legatione, ut legati ad scholas reversi apud pueros Graecos disserant, Romani vero adolescentes magistratûs, ut ante, et lêges audiant.

Quomodo iudicemus de hac philosophorum amandatione? Nonne adolescentes Romani admirantur philosophum, immo etiam eorum parentes gaudent de philosophorum praesentiâ? Nonne Cato inurbanus est, immo inhumanus, eo quod impedit, ne iuvenes Romani pergant audire virum sapientissimum ideoque eorum animi excolatur et erudiantur?

Si argumenta a Carneade tractata ad obrussam exigimus, clarê videmus Catonem iusto meritoque istos Graeculos fugasse: Nam iis quae Carneades more sophistico adolescentibus insurrat, destruuntur fundamenta rei publicae et societatis romanae. Si iisdem persuasum erit iustitiam, quam Cicero postea appellabit *reginam omnium*

virtutum, non iam esse notionem clarê definitam, sed vagam et incertam, communitas civium Romanorum dilapsura est, quia unusquisque Romanus nullum commodum respiciet nisi proprium et nullus erit consensus omnium, sed dissensio societatis universalis et – ut novâ aetate in Angliâ *Thomas Hobbes* docebit - bellum omnium contra omnes. Licet sit **Carneades** Graeculus ingeniosus, cuius doctrina ingenia excitat mirabiliter, licet sub specie ethicae generalis Imperium Romanum haud minus ac imperia alia antiqua et moderna, numquam ad magnitudinem imperialem accrevissent, si semper observassent iustitiam.

At **Cato** cum intellegat adulescentes Romanos, si doctrinam Carneadis sibi propriam fecerint, inutiles factum iri ad rem publicam Romanam servandam et augendam, sine morâ curat, ut ex urbe amandetur legatio iuvenibus periculosa. Itaque plurimum laudandus mihi esse videtur, quod saluti animarum iuvenilium prospexit. Sophos, Cato pater patriae sapientissime!

3.4.8 „De officiis“ - Programma eruditionis: CICERO eiusque filius Marcus.

Denique tractemus causam et condiciones scribendi eius operis ethici, quod auctor litteraturae Romanae praestantissimus dedicavit filio suo et quod iam compluries commemoravimus virtutes Romanas perscrutantes: Tractemus opus, c.t. „*De officiis*“, quod Cicero dedicavit Marco filio suo. Circa medium ferê mensem Octobrem a.44 Cicero se confert ad villas suas et d.23. m.Oct. scribit ad Atticum amicum (CIC.Att. XV 13,2,6):

Nos hîc φιλοσοφοῦμεν (quid enim aliud?) et τὰ περὶ τοῦ Καθ<ήκ>οντος magnificê explicamus προσφωνοῦμένῃ Ciceroni: quâ de re enim potius pater filio?

Iam d.5. m.Nov. legimus in alterâ epistulâ (CIC.Att.XVI 11,4):

τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus Panaetius, absolvi duobus.

Quare Cicero hoc opus scripserit, clarê patet ex praefationibus librorum singularum. Ex vere anni 45 **Marcus** unicus Ciceronis filius Athenis studet litteris cognoscendis. Qui habet viginti annos. Pater autem filii erudiendi causa multum pecuniae erogat, quod sumit ex redditibus praediorum sui Argileti et in colle Aventini sitorum.


At Marcus filius minimê parcit pecuniae paternae, sed solet eandem conviviis dilapidare. *Plutarchus* enim refert de Marci cupiditate bibendi⁸⁹:

PLUTARCHUS, Cicero 24. Sunt et epistolae Ciceronis ad Herodem, et ad filium aliae, quibus eum in studio philosophiae Cratippum sequi iubet. Gorgiam autem rhetorem incusans, quod filium ad uoluptates et **computationes** illexisset, a consuetudine eius prohibet. Haec una fere Graecarum

89 **PLUT.Cic.24** ἐπιστολαὶ δὲ περὶ τούτων Κικέρωνος εἰσὶ πρὸς Ἡρώδη, ἕτεροι δὲ πρὸς τὸν υἱόν, ἐγκελευομένου συμφιλοσοφεῖν Κρατίππῳ. Γοργίαν δὲ τὸν ῥητορικὸν αἰτιώμενος πρὸς ἡδονὰς προάγειν καὶ πότους τὸ μειράκιον, ἀπελαύνει τῆς συνουσίας αὐτοῦ, καὶ σχεδὸν αὐτῇ γε τῶν Ἑλληνικῶν μία καὶ δευτέρα πρὸς Πέλοπα τὸν Βυζάντιον ἐν ὀργῇ τι γέγραπται, τὸν μὲν Γοργίαν αὐτοῦ προσηκόντως ἐπικόπτοντος, εἵπερ ἦν φαῦλος καὶ ἀκόλαστος ὥσπερ ἐδόκει,

Ciceronis epistolarum, et alia ad Pelopem Byzantium, obiurgatoriae sunt. Ac Gorgiam quidem haud immerito corripuit, si quidem ita prauus, ut uidebatur, et Iuxuriosus fuit.

Quod filius conversatur cum quodam rhetore, cui nomen est *Gorgiae*, Cicero pater graviter vituperat, nec desinit vituperare, usque dum Marcus tandem Gorgiam lascivum atque vinolentum evitet. In epistulâ ad *Tironem* patris secretarium missâ Marcus paenitens confitetur animum suum a factis abhorreere (CIC.fam. XVI,21,2):



MARCUS TULLIUS CICERO

(106-43 a.Chr.n.)

...tantum enim mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata aetatis meae, ut non solum animus a factis sed aures quoque a commemoratione abhorreant.

Verisimile est hanc epistulam scriptam esse autumno anni 44 a.Chr.n. Ergo non concludimus paenitentiam Marci iuvenis effectam esse opere paterno *De officiis* scripto. In illâ epistulâ Marcus narrat, quam familiariter conversetur cum professore suo, qui est *Cratippus* peripateticus (CIC.fam. XVI 21,3):

Cratippo me scito non ut discipulum sed ut filium esse coniunctissimum: ...exoro enim ut mecum quam saepissimê cenet. Hac introductâ consuetudine... sublatâque severitate philosophiae humanissimê nobiscum iocatur...

Pater de filii cursu honorum sollicitus cum studeat honorem atque famam familiae protegere, curat Marcum semper speculandum, gaudet de omni nuntio bono sibi allato. Tamen non prorsus desinit timere, ne res sibi filioque evadat parum feliciter. Denique cogitans ipsum visere filium proficiscitur, sed a patriâ vocatus non potest, quin hoc iter abrumpat. Tum gravissimae oriuntur controversiae cum *Antonio*, qui a.9. m.Oct. se confert ad legiones Brundisienses et cum iis d.28.m.Nov. Ante Modenam apparet, ut *Decimum Brutum* interfectorem Caesaris cogat abdicare. Eo inchoatum est bellum.

Omnia urgent Ciceronem opus *De officiis* inchoatum perficere. Iam ex initio Cicero hâc opere pater monere voluit honoris et officiorum filium, de quo spem conceperat. Idem componens non iam utitur formâ dialogi, quâ solet opera sua philosophica construere, sed filium alloquitur eidemque praecepta dat observanda. Hoc congruit cum priscâ auctoritate paternâ, sic cum ceteri tum etiam Cato et Brutus patres filios instituerunt. Itaque ratio quae intercedit patribus eorumque filiis eiusque rationis difficultates huius operis est argumentum gravissimum. *Sol et Phaeton* (III 94), *Theseus et Hippolytus*⁹⁰ testimonio sunt thesis, qua pater dicatur certis circumstantiis non debere promissum servare filio datum. Patrono licet clientem deserere, si filius suus proprius subito incidit in morbum gravem⁹¹. *Cato Censorius*, vir priscâ morum severitate praeditus, filio suo explicat, quid valeat sacramentum⁹². In capitulo 116 libri primi grex casuum monet lectorem, quomodo filii hereditatem a patribus acceptam exauerint. In capitulo 138 libri primi exemplum affertur, quo Marcus moneatur: *Scaurus iuvenis*, filius patris illustrissimi, famam familiae suae obscuravit, possessionem aedificando dilapidavit, et denique consulatum petens tulit repulsam⁹³. Quomodo filius magnam fortunam assecutus debeat tractare subditos suos, explicatur epistulis *Philippi ad Alexandrum*, *Antipatris ad Cassandram*, *Antigoni ad Philippum* scriptis; alteram epistulam *Philippi ad Alexandrum* scriptam afferens Cicero filium suum monet, ne benivolentiam subditorum consecetur largitione⁹⁴. Necnon tibi videris audire patrem sollicitê suspirantem, cum verbis effert, quot filii iam

90 *Sol et Phaeton. Theseus et Hippolytus*: CIC.off. I 32, III 94.

91 CIC.off. I 32

92 CATO de sacramento: CIC. Off. I 36.

93 CIC. off. I 138. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod praeclaram aedificasset in Palatio et plenam dignitatis domum, quae cum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus accessionem adiunxit aedibus. Itaque ille in suam domum consulatum primus attulit. Hic, summi et clarissimi viri filius, in domum multiplicatam non repulsam solam rettulit, sed ignominiam etiam et calamitatem...

94 **largitio**: Philippus ad Alexandrum. CIC. off. II 53 ...Praeclarê in epistolâ quâdam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benivolentiam Macedonum consecetur. ‚Quae te, malum, inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecuniâ corrupisses? An tu is agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore?‘ Bene ‚ministrum et praebitorem‘, quia sordidum rêgi, melius etiam quod largitionem corruptelam dixit esse. Fit enim deterior, qui accipit atque ad idem semper expectandum paratior.

possessionem patris dilapidaverint et deinde commemorat librum quem *Xenophon* scripsit de oeconomia (II 87):

...Xenophon... in eo libro, qui *Oeconomicus* inscribitur, quem nos, ista ferè aetate, cum essemus, quae es tu nunc, e Graeco in Latinum convertimus.

Supra iam in memoriam revocavimus horrendum illud *imperium Manlianum*; sed in tertio libro De officiis scripto Cicero *Manlium Torquatum* non memorat propter summam *severitatem* erga *filium* proprium, sed propter *pietatem* erga *patrem*⁹⁵.

Quid scimus de *efficacia harum monitionum* Ciceronis patris filio scriptarum? *Seneca Rhetor* narrat filium Ciceronis proconsulem Asiae provinciae (quam eius pater a.51 sapienter procuraverat) inter convivium unum hospitem, nomine *Cestium*, flagris verberandum curavisse, quia idem contemptim locutus esset de patris sui ingenio poetico⁹⁶. Num licet ex hoc testimonio concludamus Ciceronis conatum filii mores meliores reddendi feliciter successisse? Vix videtur hoc factum esse. Nonne filium monuerat eum *ab ineunte aetate habere causam celebritatis et nominis a patre acceptam*?⁹⁷ Necnon postulat, ut Marcus filius dignum se praestet magno nomine paterno⁹⁸:

Quod cum omnibus faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio an nemini potius quam tibi. Sustines enim non parvam expectationem imitandae industriae nostrae, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis.

Non satis certè scimus, quatenus opus Ciceronis officiorum Marco missum valuerit ad filii animum. Ne id quidem certo scimus, num filius perlegerit annis iuventutis suae gravissimis opus sibi a patre dedicatum. Nam mense Octobri a.44 *Marcus Athenis* scribit ad *Tironem* (CIC.fam. XVI 25):

...de re publica rumoribus et nuntiis certior fio et de sua in me voluntate semper ad me perscribit pater...

Gravi causa pater sollicitus monet filium. Nam illo tempore *Brutus Caesaris interfectore* Athenis versatur bonoque cum successu inter studiosos litterarum petit commilitones voluntarios. Constat *Horatium poetam* necnon *Ciceronem iuvenem* Brutum secutos esse. Ambo enim participes fuerunt *proelii Philippensis* (mense Novembri exeunte a.42 a.Chr.n.), quo *Brutus et Cassius* ceciderunt.

Certè Cicero iuvenis illo tempore vix vacavit tractatui patris morali perlegendo. Sed procul dubio Cicero hoc opus non solum scripsit ad usum filii sui, sed magnus orator

95 de Manlii Torquati pietate erga patrem. cfr CIC. Off. III 112. de eius severitate erga filium v. supra.

96 SEN.suas.VII 13.

97 CIC.off. II 44.

98 CIC. off.III 6.

atque philosophus idem scriptum proposuit ad quam plurimos lectores educandos atque erudiendos. Tribus libris *De officiis* scriptis Cicero posteritati tradidit unicum opus litteraturae Romanae, quod complectitur philosophiae *disciplinam moralem* necnon multo magis quam cetera opera sua philosophica valuit ad litteras posteriores.

CONCLUSIO


Quamquam quidam historici, qualis est *Sallustius*, sentiunt post *Bella Poenica* mores Romanorum depravatos esse, quia deesset *metus hostilis*⁹⁹, Romani indolem suam suaque praecepta moralia per longum tempus fideliter servaverunt.

Humanae infirmitatis generalis conscii cum simus, non possumus quin concedamus Romanis non semper contigisse, ut virtutes desideratas penitus ad veritatem adducerent; nam, ut *Evangelium* nos docet, *Spiritus est promptus, caro infirma*. Tamen principia moralia ab iisdem numquam in dubium vocata sunt. Accedit quod nobis cavendum est, ne castigationes morum, quas legimus apud historicos quales sunt *Tacitus* et *Suetonius*, apud philosophos, qualis est *Seneca*, necnon apud poetas lascivos et satiricos, quales sunt *Martialis* et *Iuvenalis*, generaliter referamus ad homines societatis communes et vulgares; plerumque apud illos potius castigantur mores hominum supremae classis societatis aetatis caesarianae potentium et praedivitem.

Cultus et reverentia *familiae* et *maiorum* et *morum* ab iisdem *traditorum*, studium *parsimoniae*, *utilitatis practicae*, *prudentialis civilis*, *consensionis communitatisque*, *ratio ordinis et iuris religiosè servanda* et *educatio moralis*, quae liberos adhortatur ad virtutes sibi proprias faciendas fuerunt bona Romanorum genuina, quibus IMPERIUM firmatum est, quod magnitudine et diuturnitate et facultate suâ cultûs civilis colendi atque tradendi usque ad aetatem modernam mansit incomparabile.

99 SALLUSTIUS, *Bellum Iugurthinum* 41: Ceterum mos partium et factionum ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romae ortus est otio atque abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant, neque gloriae neque dominationis certamen inter civis erat: *metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat*. Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea, quae res secundae amant, lascivia atque superbia incessere. Ita quod in adversis rebus optaverant otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit. Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere, sibi quisque ducere trahere rapere. Ita omnia in duas partis abstracta sunt, res publica, quae media fuerat, dilacerata.

FABULA FICTA DE SCRIBA ROMANO NARRATUR (IV)



Narratio a Lydiâ Ariminensi scripta
Quae est coeditrix *Ephemeridis*

PARS QUARTA ET ULTIMA:

De manumissione

Quomodo agam ut manumittar? Matrem revisisse facit ut cogitem non solum me cum ipsa coniungere posse, sed etiam vitam meo modo gerere: non esse res velim, sed homo qui aliquo iure fruatur, hoc cupio etiamque liberos optimo iure. Magnum peculium possideo tot annis cumulatam, sed qui est meus dominus? Imperatoris nihil interest quot quique servi sint. Valde opto Syram emere, meam contubernalem quae re vera serva Rutuli est, ab ipso oblata. Credo non ei ingratum esse magnam pecuniam exigere. Praeterea status Neronis in dies difficilior fit nec heres ei est. Rumor est posterum imperatorem quendam fore ducem legionum quae in provinciis consistunt. Iam milites dominantur, periculum est ne bellum civile exoritur: Mars Gradivus animos bellantium incendit. Alioquin cuius imperatori opus est firma administratione, quae quaestus praestet quibus liceat exercitum struere, magnifice vitam agere etiamque tumultus plebis sedare spectaculis paratis largitionibusque frumenti erogatis.

Hodie cum ministro imperatori fidissimo collocutus sum, qui curat ludicra Neronis apparanda et pecuniam suppeditandam; novi saepe istum adiuvisse scribas manumissionem petentes. Manumissio servorum Neronis per epistulam facta est; ego pecuniam conferam in aerarium, postea ut civis Romanus in censu inscribar. Ita etiam emere Syram potero. Sed quemadmodum matrem recipiam? Reputo numquam eam committi posse ei qui servus familiae fuit. In magno discrimine essem, si, ut opinor, filius non legitimus patris familiae sum. Quodam dolo mihi utendum est.

Necesse est ut cognomen praenomini adiungam; Rufillus a priore domino vocabar, Flavus sub altero, libertus inscribar Flavus Gallus, velut avi Galliae Transalpinae mihi essent. Re vera a vernis ortus sum eorumque originem ignoro.

Minister Neronis nimiam pecuniam pro manumissione postulavit, sed de pretio agitur; Nero nunc in summas angustias adductus est, ab

omnibus derelictus; fama est eum fugituum esse, cum praesertim maximam pecuniam quam potest colligat ut in provinciis orientalibus se occultet mortuus creditus. Melius esset ipsum sibi mortem consciscere, sed ei Petronii Arbitri et Senecae animus deest, qui fortiter Acherontem obierunt.

Hodie tandem mihi epistula sigillo Neronis conscripta data est: statim contendi ad me censendum: oblatis census ministro debitis nummis, meum praenomen et cognomen in census tabulis statim inscripta sunt. Gaudeo quod omnia brevi tempore confecta sunt. Tempus breve etiam imperatori concessum est, cum finis vitae proxima sit.

Syra gaudio non affecta est, immo flere coepit; timet ne se relinquam et alteram feminam cupiam magis liberto idoneam. Temptavi misellam recreare, promittens eam apud me mansuram, nos liberos genituros esse. Nunc omnes cogitationes ad matrem dirigo. Unum effugium mihi videtur eam vi adhibita auferre; idne fiat ea adversante? Utique crimen admittam, cum civi rem subducam. De negotio venalicium consului qui hortatus est ut peterem auxilium a parario magni existimato, qui feminam emeret pro quodam qui vellet ignotus esse. Eo modo emptor occultus non patefieret nec molestiam familiae pararet. Ingentem pecuniam utique penderem. Aliter ipsa manumissionem peteret, ut dignius in ipsa domo vitam degeret. Deinde abire constitueret, nullo repetente. Essetne matri satis pecuniae ut manumitteretur? An simulare potest se aegrotare. Puto hanc fraudem esse unam rationem domo exeundi. Hoc consilium eam docebo, sed magna prudentia mihi utendum est, ne agnoscar ab amicis pristini domini in exilium pulsi neve meam ulciscantur iniuriam, cum Neronis imperium ad finem veniat. Matrem iterum conveniam et obsecrabo ut morbum simulet. Hac ficta causa licebit ad templum Valetudinis adire atque deam orare. Non longe abditus manebo; simulans me esse agricolam curru vectum ex aegra quaeram numquid optet se domum reduci. Subvectam occultabo sub pannis, nullo curante, iter rus pergens. Sub vesperum, cum Hesperus et Luna caelum collustrant, raeda vectam, mecum domum meam ducam.

Nunc libertus iure sum nec timeo: eandem viam percurram, ut eam exspectem nullo observante; in ripa fluminis rari transeunt, plerumque servi et miserandi fructus herbasque requirentes quibus se sustentent. Tantum hoc spero, a matre fugae consilium probari.

Non opus fuit multis verbis ut ei suaderem; mihi ictuum vestigia in brachiis ostendit. Mox in foro servili venum daretur, nisi mecum auferrem.

**FABULA CONFECTA EST
SCRIPSIT LYDIA BRIGHI
ARIMINENSIS**

DE IACOBELLO BOTONE ET LUCA HAMAXISTA

(»Jim Knopf und Lukas der Lokomotivführer«). Fabula, quam scripsit Michael Ende. Thienemann Verlag, Stutgardiae a.1960. Editio extraordinaria a.2004. p.3-9. Capitulum primum in Latinum convertit Nicolaus Groß.

CAPITULUM PRIMUM

in quo fabula incohatur.

Terra, in qua Lucas hamaxista vivebat, vocabatur Lumerania et tantummodo erat perparva.

Quae erat perquam parvula, si eam comparas cum aliis terris, velut cum Germaniâ aut Africâ aut Chinâ. Lumerania erat altero ferê tanto maior quam habitaculum nostrum et magnam partem constabat e quodam monte, cui erant duo cacumina, unum altum et alterum, quod paululo humiliter erat quam illud.

Hic mons ambiebatur variis viis, quae instructae erant ponticulis et transitibus. Praeterea ibi flexuosa erat orbita ferriviaria. Quae per quinque specûs ferebat, qui huc illuc per montem perque ambo cacumina eius ducebant.

Scilicet in Lumeraniâ etiam domos fuisse, unam perquam vulgarem, alteram, cui inerat taberna. Addita est statiuncula ferriviaria, quae sita erat sub montis radicibus. Ibi autem habitabat Lucas hamaxista. Necnon montis cacuminibus intersitum erat castellum.

Ergo apparet hanc terram fuisse satis plenam. Eidem non iam multum imponi poterat. Fortasse haud parvi momenti est addere valde cavendum fuisse, ne limites huius terrae transirentur, quia hoc cum aliquis fecerat, eius pedes statim madefiebant. Nam haec terra erat insula.

Haec insula sita erat medio in oceano lato et infinito, cuius undis magnis parvisque limites terrae die noctuque circumfremebantur. Sed interdum mare erat tranquillum atque placidum, ut nocte lunae dieque solis imaginem reciperet. Haec tempora semper erant pulchra et sollemnia iisque Lucas hamaxista semper considebat in litore et laetabatur. Ceterum qua de causa haec insula vocaretur Lumerania, nullus homo sciebat. At certe hoc aliquando investigabitur.

Hôc quidem loco Lucas hamaxista cum hamaxâ suâ vivebat. Hamaxa autem vocabatur *Emma* et erat perbona, quamvis fortasse esset moris quadamtenus vetustuli, hamaxa carbonifera*). Imprimis dicendum est eandem fuisse staturâ crassiusculâ.

Nunc forsitan quaesiverit quispiam: Quemnam ad finem in terrâ tam parvâ necessaria est hamaxa?

Attende igitur: Hamaxista scilicet egeat hamaxâ, nam alioquin quid gubernet? An anabathrum? Si hoc faceret, esset anabathrista. At verus hamaxista vult esse hamaxista et nullus alius. Praeterea in Lumeraniâ nullum fuit anabathrum.

*) »Hamaxa carbonifera« significat hamaxam, cui non separatim appendendus erat carrus carbonarius, sed quae ex initio firme instructa erat carbonum receptaculo, quod spectabat ad ipsam hamaxam.

Lucas autem hamaxista erat vir brevi staturâ, paululum rotundâ. Qui ne pauxillum quidem curabat, utrum aliquis hamaxam putaret esse necessariam necne. Lucas gerebat pileum proiecturalem et vestem operariam. Eius oculi tam caerulei erant quam caelum Lumeraniae superpositum, cum id erat serenum. At Lucae facies eiusque manûs ferê totae nigrae fuerunt oleo et fuligine oblîtâe. Quamvis cottidie lavaretur speciali hamaxistarum sapone, fuligo non iam absolvebatur. Quae infimam in cutem pervaserat, quia Lucas ex multis annis non poterat, quin cottidie operando sordesceret. Cum is ridebat – quod persaepe faciebat –, in eius ore apparebant magnifici dentes albi, quibus omnem nucem perfringere posset. Praeterea Lucas gerebat aureum anulum parvum auriculae sinistrae insertum et fumabat crassâ pipâ curtâ. **Hic aspicitur Lucas hamaxista die festo (sapone hamaxistarum adhibito).**



At die inferiato Lucas hamaxista est t a l i aspectu:



Lucas quamvis non perquam longâ esset staturâ, tamen robure erat stupendo. Exempli gratia îdem tam robustus erat, ut, si volebat, contum ferreum flecteret in laqueum. At nemo certo sciebat, quam robustus ille esset, quia amabat quietem pacemque roburque suam numquam demonstrare debuerat.

Praeterea ceterum îdem erat artifex. Peritissimus enim erat sputandi. Lucas tam accuratê collineare sciebat, ut per distantiam trium semis metrorum exstingueret ramentum flammiferum. At haec techna sputandi non erat eius unica. Nam aliâ quoque ratione sciebat sputare, et istam vix quisquam alter sciebat in toto orbe terrarum: Nam Lucas sciebat sputare *ansatim*.

Cottidie Lucas vehebatur multoties super orbitam illam flexuosam per quinque specûs ab uno fine insulae ad alterum et retro, neque ulla res mutabatur, quae digna esset memoratu. Emma voluptate anhelabat et sibilabat. Interdum autem Lucas etiam cantiunculam secum sibilabat et deinde duabus vocibus sibilabant, ut mirê resonarent, praesertim in specubus, ubi soni pulcherrimê redderentur.

Praeter Lucam et Emmam in Lumeraniâ nonnullae personae quoque erant aliae. Exempli gratia ibi erat rex, qui terram regebat et in castello habitabat duobus cacuminibus intersito. Qui vocabatur Alfonsus Undecimus Dodrantalis, quia horâ undecimâ cum dodrante erat nata. Qui erat dominus satis bonus. Saltim nemo erat, quin aliquid mali de illo diceret, quia nihil prorsus de eo dici poterat. Plerumque

îdem coronâ capiti impositâ vellutinâ veste dormitoriâ calceisque domesticis scotico more scutulatis indutus in castello suo sedebat et telephonabat. Quem ad finem habebat magnum telephonum aureum.

Regi Alfonso Duodecimo Dodrantali erant duo homines subditi – si Lucam non numeras, qui sensu proprio non erat subditus, sed hamaxista.

Unus homo subditus erat vir nomine Domini Manicae. Dominus Manica plerumque petaso spisso capiti imposito umbrellâque complicabili bracchio suppositâ ambulabat. Qui habitabat in domo prorsus vulgari nullumque gerebat officium speciale. Îdem nihil faciebat nisi ambulabat et exstabat. Qui praecipuê erat subditus et regebatur. Interdum îdem umbrellam explicabat, plerumque cum pluvia cadebat. Plura non sunt, quae narrentur de Domino Manicâ.

Alter homo rêgi subditus erat mulier, quae erat perquam comis atque affabilis. Quae erat rotunda et crassa, sed non tam crassa quam Emma hamaxa. Quae mulier erat rubris bucculis malinis et vocabatur Domina Quidais. Verisimile est unum ex eius mulieris maioribus fuisse surdastrum ideoque illum his verbis denominatum esse, quae ipse faceret, quandocumque aliquid non intellexeret. Inde hoc nomen toti genti impositum esse.

Domina Quidais in domo illâ habitabat, cui inerat taberna, ubi omnia emi poterant, quae solent esse necessaria: cummes masticabiles, ephemerides, corrigiae, lac, insertimenta calcearia, butyrum, spinacea, serrae tenuissimae, saccharum, sal, pilae lampadum palmalium electricae, cuspidamenta, marsupia in formam bracularum coriacearum redacta, trochisci saccharini, mnemosyna itineraria, gluten multiplex – ne multa: omnia.

Sed mnemosyna itineraria ferê numquam emebantur, quia in Lumeraniam nulli veniebant peregrinatores. Nemo nisi Dominus Manica interdum aliquod mnemosynum emebat, potius benevolentiae pretiique parvi causâ quam verae necessitatis. Praeterea îdem Dominus libenter pauxillulum cum Dominâ Quidaide garriebat.

Ehem, ceterum, ne obliviscar: Rex non poterat conspici nisi diebus festis, quia îdem plerumque debebat regnare. At diebus festis ipsâ horâ undecimâ cum dodrante ad fenestram procedebat manuque comiter annuebat. Deinde homines eidem subditi iubilabant petasosque suos in aerem iacebant et Lucas Emmam iubebat laetê sibilare. Postea omnibus offerebatur gelamen vanilleum, diebus autem sollemnibus gelamen fragorum. Gelamen conficiendum rex mandabat Dominae Quidaidi, quae gelamen conficere sciebat omnium delicatissimum.

In Lumerania omnes vivebant pacificê, usque dum aliquo die – ita, hac re incohatur fabula nostra propria.

VOCABULA RARA RECENTIORAVE

Alfonsus Duodecimus Dodrantalis *Alfons der Viertel-vor-Zwölfte.*

***anabathrista**, -ae m. *Fahrstuhlführer.*

anabathrum, -i n. *Fahrstuhl.*

ansa, -ae f. *Schleife*

***ansatim** (*adv.*) *in Schleifen, schleifenförmig. sputare ansatim einen Looping spucken.*

braculae coriaceae *kleine Lederhosen.*

bucculae malinae *Apfelbäckchen.*

calceus domesticus *Pantoffel.*

carrus carbonarius *Tender.*

castellum, -i n. *Schloss.*

contus, -i m. *Stange.*

corrigha, -ae f. *Schuhband.*

crassiusculus, -a, -um *ein bisschen dick*

cummis masticabilis *Kaugummi.*

***cuspidamentum**, -i n. *Bleistiftspitzer.*

Domina * Quidais, Dominae Quidáidis f. *Frau Waas.*

Dominus Manica *Herr Ärmel.*

ephemeris, ephemeridis f. *Zeitung.*

fragum, -i n. *Erdbeere.*

fuligo, -inis f. *Ruß.*

***gelamen**, -inis n. (*Speise*)eis. ***gelamen fragorum** *Erdbeereis.* - ***gelamen *vanilleum** *Vanilleeis.*

gluten multiplex *Alleskleber.*

hamaxa, -ae f. *Lokomotive.* hamaxa vaporaria – *Dampflokomotive.* - hamaxa **electrica* *Elektrolokomotive* – hamaxa **Diseliana* *Diesel-Lokomotive.* – hamaxa **carbonifera* *Tenderlok.*

***hamaxista**, -ae m. *Lokomotivführer.* – operistitium hamaxistarum *Lokführerstreik.*

***Iacobellus +Boto** *Jim Knopf.*

***insertimentum calcearium** *Schuheinlage.*

lampas palmalis *Taschenlampe.*

***Lumerania**, -ae f. *Lummerland.*

marsupium, -ii n. *Portemonnaie*

mnemosynum itinerarium *Reiseandenken.*

orbita ferriviaria *Eisenbahngleis.*

petasus, -i m. *Hut.*

pila *electrica (*elektrische*) *Batterie.*

pileus *proiecturalis *Schirmmütze.*

pipa curta *Stummelpfeife.*

Quídais, -áidis f. v. Domina Quidais.

ramentum flammiferum *Streichholz, Zündholz.*

sapo, -onis m. *Seife.*

scutulatus, -a, -um *kariert.*

serra tenuissima *Laubsäge.*

specus, -ūs m. *Tunnel.*

spinacea, -ae f. *Spinat.*

***statiuncula ferroviaria** *kleine Bahnstation.*

surdaster, -tra, -trum *schwerhörig.*

***telephono**, -are *telefonieren.*

***telephonum**, -i n. *Telefon.*

trochiscus saccharinus *Liebesperle.*

***vanilleus**, -ea, -eum

***vellutinus**, -a, -um *Samt//*

FABULA QUAE INSCRIBITUR

„DE IACOBELLO BOTONE ET LUCA HAMAXISTA“

i.e.

„Jim Knopf und Lukas der
Lokomotivführer“

SCRIPSIT

MICHAEL ENDE

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

IN GEORGII SLEDNIKOV MEMORIAM INCLVTAM



Pater Spandaviae (*Spandau*) in suburbio Berolinensi a. 2017.

Haud raro fit, ut nobis omnium optimi erapiantur maximeque necessarii, quod valet in Prof.rem D.rem Nicolaum Sallmann, quo vita functo tota Latinitas viva orbata, idem etiam in patrem meum Georgium Slednikov, qui cum die 13 hornotini mensis Iulii insufficientiam cordis passus decessisset, magnum apud nos propinquos sui desiderium reliquit.

Natus autem die 2 mensis Octobris anno 1952 Ustiugae Magnae¹ in septentrionalis Russiae provincia Vologdana. Pater eius Borissus erat nauarchus, praefectus scilicet navis vaporariae rotalis ad Duinam flumen, avo Michaelae locali ibidem gubernione, matre Dagomara (Michaelis f.) medica. Etiam frater maior Venceslaus familiae aderat futurus machinarius nauticus.

Anno 1973 una cum Venceslao Piscariam² (vulgo Rybinsk) in provinciae Iaroslaviensis urbem ad Volham migravit totam fere vitam in eadem ac frater disciplina nautica machinali versatus, anno 1978 Lydiam uxorem duxit tribus liberis natis. Homo erat omnibus rebus diligens, maritus pius et pater perfectissimus. Idem porro qui annis 1972–1973 Ratenoviae, in Brandenburgensi oppido Reipublicae Germanorum democraticae militasset, tanto me prope puerulum amore linguae

1 cfr. *Graesse* III, p. 550: Velikij Ustug (Velikij Ustjug) am Fl. Suchona sw. Syktyvkar (Ust Syssolsk), RSFSR, Wologdaer Gebiet, UdSSR.

2 Nomen ab Alexio Solopov (qui et Scatebranus Rutenus) primo propositum in libro c.t. „Initia eloquentiae Latinae“ (Moscoviae 2008, p. 537).

Theodiscae narrationibus perpulchris vocabulisque memoriae mandatis inflammavit, ut istam primum in schola discerem, deinde apud studiorum universitatem in res Germanicas incumberem. Verus pater familias quam administrandae rei familiaris erat gnarus tam (purgato praenomine) agricola peritus, a quo in interpretando aliquot annis ante praesertim Georgicorum partem Michaelis von Albrecht de Vergilio³ frequenter consilia peterem. In Deum autem etsi ecclesia vix frequentata credebat, ter tamen sorore parente monasteria petebat precatum. Vitam non sibi, sed aliis vixit, quo illud Christi *diliges proximum tuum sicut teipsum* (Mt. 22, 39) plene servasse videatur.

Gaudio ac delectationi erat patri iter Germanicum, quod anno 2017 duo fecimus unam septimanam Berolini versati Ratenovia et Potestampio invisis; quae terra ex quadraginta quinque annis mutata adeo ei placuit, ut postremo iam die in patriam profecturus hospiti nostrae his valediceret verbis: “Deus Germaniam salvet!”

Idem ego credo precans speroque fore, ut anima eius per misericordiam Dei requiescat in pace.

ALEXIUS SLEDNIKOV

Alexius D.ri Nicolao suo Gross s.q.p.d.

Gratias plurimas tibi ago quam pro epistula tam pro consilio symbolae divulgandae. Recte dicis nos cum patre similes esse (an fuisse?), istud semel et saepius audiebam. Ceterum te rogo, ut nisi sero mutes in initio: «Haud raro fit, ut nobis... RAPIANTUR» pro ERIPIANTUR, quod videatur Latinius.

In antecessum iterum gratias magnas tibi ago. **Cura, ut quam optime valeas!**

³M. von Albrecht: Vergil: Bucolica – Georgica – Aeneis: Eine Einführung. Heidelberg ³2019, cuius operis versio Russica est haec: М. фон Альбрехт: Вергилий. «Буколики», «Георгики», «Энеида»: Введение. Москва 2021.

CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Roman Polański

* 18. August 1933 als Raymond Thierry Liebling in Paris

Roman Polański ist ein französisch-polnischer Filmregisseur, Filmproduzent, Drehbuchautor und Schauspieler. Zu seinen bekanntesten Filmen gehören die Horrorfilme *Tanz der Vampire* (1967), in dem er selbst die Rolle des Alfred übernahm, und *Rosemaries Baby* (1968), der Kriminalfilm *Chinatown* (1974) sowie der Holocaustfilm *Der Pianist* (2002), der mit der *Goldenen Palme von Cannes* sowie dem *Oscar* für die beste Regie ausgezeichnet wurde.



ANTE TER TRIGINTA ANNOS LV TETIAE NATVS
 ROMANVS POLANSKI
 DISPOSITOR PELLICVLAE PRAECIPVVS
 ATQVE HISTRIO PROBVS
 VIVAT VIR NONAGENARIVS

MMXXIII

Der vorzügliche Filmregisseur und tüchtige Schauspieler
 ROMAN POLAŃSKI wurde vor 90 Jahren in Paris geboren.

Alles Gute zum 90. Geburtstag.

„Geächtet und geachtet“: Polańskis Leistungen als Regisseur sind unbestritten. Sein Leben verlief ziemlich turbulent: Er musste mehrere schwere Schicksalsschläge erleiden (Ermordung seiner schwangeren Mutter und Ermordung seiner hochschwangeren Frau), andererseits wurde ihm aber auch wiederholt sexueller Missbrauch vorgeworfen.

Theobald Hock (auch Hoeck oder Hoeckh)

* 23. August 1573 in Limbach
† nach 1624

Theobald Hock war ein deutscher Lyriker.

QVIINQVIES NONAGINTA ANNIS ANTE
X KAL. SEPTEMBRES NATVS
THEOBALDVS HOCK
POETA STRENVVS AETATIS BAROCI
QVI BONOS VERSVS VVLGARES FECIIT

MMXXIII

Am 23. August vor 450 Jahren wurde Theobald Hock geboren.
Er war ein tüchtiger Dichter des (Früh-)Barock,
der gute Verse in der Volkssprache (d.h. auf Deutsch) schrieb.

Theobald Hock hat nur ein einziges literarisches Werk hinterlassen, die 1601 unter dem Anagramm *Otheblad Oeckh* gedruckte Gedichtsammlung *Schönes Blumenfeld*. Die Literaturwissenschaft behandelt Hock in der Regel als „Vorläufer“ beziehungsweise „Vermittler“ zwischen Humanismus und Barock. Diese Sichtweise in epochalen Entwicklungen verstellt den Blick auf Hocks eigentliche Leistung: Im Umfeld vornehmlich neulateinisch schreibender Lyriker unternimmt er den Versuch, Gedichte in Deutsch zu verfassen. Seine Gedichtsammlung steht am Beginn der neuhochdeutschen Kunstlyrik. Im Gegensatz zu vielen seiner Zeitgenossen verfügt er in seinen Gedichten über eine Vielfalt im Vers- und Strophenbau. Seine Vorbilder sind weniger in der lateinischen Dichtung zu suchen als vielmehr im entstehenden Kunstlied der Prager Dichterkomponisten Jakob Regnart (1540–1599) und Christoph von Schallenberg (1561–1597). Hocks Verse holpern zwar oft noch nach Art der Meistersinger, umso bewundernswerter aber erscheinen dann seine sauberen Jamben, sein kunstvolles Variieren der Strophenformen und seine Reimtechnik. Der Wortschatz seiner Texte umfasst eine breite Spanne von grobianischen, oft erotisch anspielenden Ausdrücken bis hin zu Fachausdrücken aus dem Hofleben.

Die Thematik der Texte Hocks ist vielgestaltig. Noch in der Tradition der Meistersinger verspottet er die Bauern, beklagt die List und Falschheit der Frauen und kritisiert Zustände der Zeit, insbesondere die Privilegierung der untauglichen adligen Hofbeamten, denen er die tüchtigen bürgerlichen (und damit sich selbst) gegenüberstellt. Hocks Kritik an den Zuständen bei Hof ist für jemanden, der selbst in der höfischen Welt lebt, erstaunlich offenerherzig. Vom protestantischen Christentum und seiner Ethik bezieht er das Lob von Fleiß und Ausdauer sowie die Verkündigung von Duldsamkeit im Leiden und der Ausrichtung des Lebens auf den Tod. Die strenge protestantische Moral unterläuft Hock jedoch mit witzigen Formulierungen, wie überhaupt Spott und Ironie viele seiner Gedichte durchdringen.

Das 16. Jahrhundert ist das goldene Zeitalter der Sprichwörter. Sie finden sich, neben Zitaten aus der Bibel, bei Hock zuhauf. Diese volkssprachliche Fertigware wird von Hock häufig kunstvoll in seinen Texten verflochten. Denn bei allem Predigen und Moralisieren will Hock den Leser auch unterhalten und vergnügen. Im selben Gedicht mischen sich oft Ernst und Scherz, Lehrhaftes und Belustigendes, und dem Spaßigen wiederum stehen Vergänglichkeitsklagen gegenüber, wie sie manch nachfolgender Barockdichter nicht zu schreiben vermochte.

Schon im Titel *Schönes Blumenfeld* weist Hock auf die Vielfalt und Buntheit der Texte (und Themen) hin, spielt aber auch auf die Wiese als Tummelplatz der Narren an (Satire als „speculum mundi – Spiegelbild der Welt“). Satire ist bei Hock Charakter-Satire. Sie zielt nicht so sehr auf allgemeine Laster, als vielmehr auf bestimmte Charakterfehler der einzelnen Menschen.

Simone Weil

* 3. Februar 1909 in Paris

† 24. August 1943 in Ashford, England

Simone Weil war eine französische Philosophin, Mystikerin, Dozentin und Lehrerin sowie Sozialrevolutionärin jüdischer Abstammung.



SIMONA VEIL
 PHILOSOPHA CELEBRIS STIRPIS IVDICAE
 OCTOGINTA ANNIS ANTE
 E VITA EGRESSA
 AETATIS SVAE XXXIV

MMXXIII

Vor 80 Jahren starb SIMONE WEIL,
 eine gefeierte Philosophin mit jüdischen Wurzeln,
 im Alter von 34 Jahren.

Überraschend am kurzen Leben der engagierten Linken, die am 24. August 1943 im Alter von 34 Jahren im englischen Ashford an Hunger und Herzinsuffizienz starb, ist ihre religiöse Wende. Als agnostisch erzogene Jüdin entdeckte sie auf einer Italienreise in Rom und Assisi den Katholizismus in seiner Wirkmächtigkeit, hatte mystische Erlebnisse und trat in einen intensiven Briefwechsel mit dem Dominikanerpater Joseph-Marie Perrin. Zum katholischen Glauben konvertierte sie aber wohl nicht. Simone Weil hinterließ ein in seiner Vielseitigkeit außergewöhnliches Werk, dessen größter Teil erst nach ihrem Tod erschien. In ihm finden sich Schriften zur Philosophie und Kulturphilosophie, zur Theologie und Mystik, aber auch Abhandlungen zu Sozialreformen und Gewerkschaftsfragen wie Tagebücher, Theaterstücke und Gedichte. Ihr wichtigster Text aber bleibt ihre Schrift „Unterdrückung und Freiheit“, eine umfassende Analyse der politischen und sozialen Repression, ihrer Ursachen und Mechanismen, die bis heute nichts von ihrer Aktualität eingebüßt hat.

Quelle: Vor 75 Jahren gestorben - Simone Weil - Philosophin und Widerständlerin / deutschlandfunk.de

Julius Victor Carus

* 23. August 1823 in Leipzig, Königreich Sachsen

† 10. März 1903 in Leipzig

(In manchen Quellen wird auch der 25. Juli oder der 25. August als Geburtsdatum angegeben.)



IVLIVS VICTOR CARVS
 ANTHROPOLOGVS INSIGNIS
 INTERPRES OPERVM CAROLI DARVINII
 ANTE QVATER QVINQVAGINTA ANNOS NATVS

MMXXIII

JULIUS VICTOR CARUS wurde vor 200 Jahren geboren.

Er war ein ausgezeichneter Anthropologe
 und Übersetzer der Werke von Charles Darwin.

Julius Victor Carus war ein deutscher Zoologe und Anthropologe.

Carus wurde 1853 Professor für vergleichende Anatomie und Direktor des Zoologischen Instituts an der Universität Leipzig. Er stand in Korrespondenz mit Charles Darwin und übersetzte unter anderem dessen Werke *Descent of Man, and Selection in Relation to Sex*, *Origin of Species*, *The Expression of the Emotions in Man and Animals* und *The formation of vegetable mould* ins Deutsche. Diese Übersetzungen werden seitdem oft als Standardübersetzung verwendet. Außerdem übersetzte er 1863 das Werk von Thomas Henry Huxley *Man's Place in Nature* (*Zeugnisse für die Stellung des Menschen in der Natur*).

Quelle: Wikipedia

Wayne Shorter

* 25. August 1933 in Newark, New Jersey
 † 2. März 2023 in Los Angeles



WAYNE SHORTER
 COMPOSITOR INLCYTVS IASSIACVS
 SAXOPHONISTA INSIGNIS IAZZENSIS
 ANTE BIS QVADRAGINTA QVINQVE ANNOS
 NOVARCI NATVS

MMXXIII

Der berühmte Jazzkomponist und ausgezeichnete Jazzsaxophonist
 WAYNE SHORTER wurde vor 90 Jahren in Newark (New Jersey) geboren.

Wayne Shorter war ein US-amerikanischer Jazz-Saxophonist und -Komponist. Mit John Coltrane und Sonny Rollins gehörte er zur „vordersten Linie“ der Saxophonisten im Modern Jazz. „Sein Spiel wurde als poetisch, rätselhaft und zugleich natürlich und in sich völlig logisch charakterisiert.“ Der Saxophonist zählt zu den stilbildenden Künstlern des Jazz. Er gilt als einer der bedeutendsten und einflussreichsten Interpreten der Jazzgeschichte.

Ulrich von Hutten

* 21. April 1488 auf Burg Steckelberg in Schlüchtern
 † 29. August 1523 auf der Ufenau im Zürichsee

VL R I C V S D E H V T T E N
 E G R E G I V S P O E T A N E O L A T I N V S
 E T S C R I P T O R T E V T O N I C V S
 A N T E Q V I N G E N T O S A N N O S
 I V K A L . S E P T E M B R E S
 E X V I T A E G R E S S V S

* *

VL R I C V S D E H V T T E N
 V I R C L A R V S
 P O E T A L A V R E A T V S
 I L L V S T R I S S C R I P T O R S A T Y R I C V S
 C R I T I C V S E C C L E S I A E C A T H O L I C A E
 P V G N A T O R L V T H E R A N V S
 Q V I N G E N T I S A N N I S A N T E O B I I T
 A E T A T I S X X X V

MMXXIII

ULRICH VON HUTTEN,
 ein herausragender neulateinischer Dichter
 und deutscher Schriftsteller,
 starb am 29. August vor 500 Jahren.

* *

Er war vom Kaiser zum Dichter gekrönt worden,
 und er war ein berühmter satirischer Schriftsteller
 sowie Kritiker der katholischen Kirche und Kämpfer für Luther:
 der berühmte ULRICH VON HUTTEN.

Vor 500 Jahren starb er im Alter von nur 35 Jahren.

Ulrich von Hutten

* 21. April 1488 auf Burg Steckelberg in Schlüchtern

† 29. August 1523 auf der Ufenau im Zürichsee

VL R I C V S D E H V T T E N
 H V M A N I S T A P R A E C L A R V S T E V T O N I C V S
 R E G N I E Q V E S
 P O E T A L A V R E A T V S
 Q V I N G E N T I S A N N I S A N T E
 E V I T A E G R E S S V S
 * * *

VL R I C V S D E H V T T E N
 R E G N I E Q V E S
 P O E T A B O N V S N E O L A T I N V S
 P V G N A T O R L V T H E R A N V S
 V I R C L A R V S
 A N T E Q V I N G E N T O S A N N O S
 I V K A L . S E P T E M B R E S O B I I T

M M X X I I I

Der berühmte deutsche Humanist, Reichsritter und lorbeerbekränzte Dichter
 ULRICH VON HUTTEN starb vor 500 Jahren.

* * *

Der berühmte ULRICH VON HUTTEN,
 ein Reichsritter, großer neulateinischer Dichter und streitbarer Lutheraner,
 starb am 29. August vor 500 Jahren.

Ulrich von Hutten war seinen Zeitgenossen in erster Linie als lateinischer Dichter bekannt. Den Humanisten galt er als größte Hoffnung auf diesem Gebiet. Umso enttäuschter reagierten sie auf die Hinwendung Huttens zum politischen Geschehen und seine aggressive Agitation gegen die römische Kirche. Dieser Zwiespalt äußert sich am deutlichsten in Huttens letzter (erhaltener) Schrift, der *Expostulatio*, in der er die Zurückhaltung der Humanisten, insbesondere des Erasmus von Rotterdam, im Kampf gegen die Kurie beklagt.

Ulrich von Hutten wurde und wird durch die Rezeptionsgeschichte in ein Licht gerückt, das es lange Zeit schwierig machte, seine literarischen Leistungen, aber auch seine politischen Ziele unvoreingenommen zu beurteilen. Erst in jüngerer Zeit findet sein Leben und Wirken wieder Beachtung, vornehmlich im Bereich der Politikgeschichte und Forschungen zur Entwicklung des Nationalismus.


Quelle: Wikipedia

Zwei aktuelle Beiträge zu Hutten: [Ulrich von Hutten: Wehe, Luft und Freiheit! - Spektrum der Wissenschaft](#)
und [Ritter, Satiriker und Reformator: Heute vor 500 Jahren starb Ulrich von Hutten](#)
[\(deutschlandfunk.de\)](#)

MARTIN LUTHER KING „I HAVE A DREAM“

28.8.2023

CHRONOGRAMMA TRIPLEX



MARTINVS LVTHERVVS KING
 PASTOR PRAESIGNIS
 CONTIONATOR FACVNDVS
 DEFENSOR IVRIS CIVITATIS CELEBER
 BIS TRIGINTA ANNIS ANTE DIXIT
 «MIHI EST SOMNIVM»

MMXXIII - MMXXIII - MMXXIII

Der vorzügliche Pastor, reddegewandte Prediger und berühmte Bürgerrechtler
 MARTIN LUTHER KING sagte vor 60 Jahren: „I have a dream!“

["I have a dream": 60 Jahre Rede von Martin Luther King \(deutschlandfunkkultur.de\)](https://deutschlandfunkkultur.de)
 (mit Audio-Datei der vollständigen Rede)

[Martin Luther King - Ein unvollendeter Traum \(deutschlandfunkkultur.de\)](https://deutschlandfunkkultur.de)
(42:13 Minuten)

MARTIN LUTHER KING „I HAVE A DREAM“

VIER FOLGENREICHE WORTE VOR 60 JAHREN

SIXTY YEARS AGO KING SAID

« I HAVE A DREAM »

* * *

KING PASTOR NOBILIS

ACTIVISTA IVRIS CIVITATIS PERITVS

TER VIGINTI ANNIS ANTE VOCAVIT

« DE LIBERTATE AEQUALITATE

FRATERNITATE IVSTITIAQVE SOMNIO »

MMXXIII

Der berühmte Pastor und Bürgerrechtler
(MARTIN LUTHER) KING rief vor 60 Jahren:

„Ich habe einen Traum!
Einen Traum von Freiheit, Gleichheit,
Brüderlichkeit und Gerechtigkeit!“

„I have a dream“ – diese Worte standen eigentlich nicht im Redemanuskript von Martin Luther King. Doch genau diese improvisierten Passagen machten King zur Ikone der Bürgerrechtsbewegung. Was ist heute davon noch spürbar?

„I have a dream“. Vier Worte waren es, die die Rede des jungen Baptistenpastors und Bürgerrechtlers Martin Luther King an die Spitze der 100 wichtigsten politischen Reden der USA katapultierten. In ihr beschwor King am 28. August 1963 vor dem Washingtoner *Lincoln Memorial* seine Vision von einer besseren Gesellschaft ohne Rassentrennung und -diskriminierung.

Seine Rede mit dem mantra-gleich wiederholten Satz „Ich habe einen Traum“ hielt der Bürgerrechtler während des „Marsch auf Washington für Arbeit und Freiheit“. An der friedlichen Demonstration, die von verschiedenen afroamerikanischen Bürgerrechtsbewegungen organisiert worden war, beteiligten sich mehr als 250.000 Menschen, darunter auch 60.000 weiße Amerikanerinnen und Amerikaner.

Das Ereignis wurde weltweit im Fernsehen übertragen. Auch das trug zur späteren ikonografischen Bedeutung der Rede bei. Denn: Liest man das Originalmanuskript, stellt man fest: Die „I have a dream“-Passagen kommen darin gar nicht vor. Erst die Medien transportierten sie weiter.


In seiner Autobiografie, zusammengestellt von Historiker Clayborne Carson nach Kings Ermordung, im Jahr 1968, wird der Bürgerrechtler dazu zitiert: Demnach habe er „I have a dream“ spontan nach Zurufen von Zuschauern noch in die Rede eingebaut und sei dafür vom Manuskript abgewichen. Er hatte diese Formulierung früher bereits häufiger verwendet.

Quelle: Deutschlandfunk Kultur

Georges Braque

* 13. Mai 1882 in Argenteuil, Département Val-d'Oise
† 31. August 1963 in Paris

Georges Braque war ein französischer Maler, Grafiker und Bildhauer. Nach einer frühen fauvistischen Schaffensphase war Braque zusammen mit Pablo Picasso der Mitbegründer des Kubismus.



GEORGIVS BRAQVE
PICTOR INSIGNIS ET SCVLPTOR
SEXAGINTA ANNIS ANTE
PRIDIE KAL. SEPTEMBRES
VITA CESSIT
AETATIS LXXXI

MMXXIII

Am 31. August vor 60 Jahren starb
der ausgezeichnete Maler und Bildhauer

GEORGES BRAQUE


im Alter von 81 Jahren.

Rainer Malkowski

* 26. Dezember 1939 in Berlin-Tempelhof

† 1. September 2003 in Brannenburg

Rainer Malkowski war ein deutscher Dichter, vor allem Lyriker.



RAINER MALKOWSKI
 INCLYTVS POETA THEODISCVS
 ANTE QVATER QVINQVE ANNOS
 E VITA EXCESSIT
 AETATIS LXIII

MMXXIII

Am 1. September vor 20 Jahren starb der berühmte deutsche Lyriker
 RAINER MALKOWSKI im Alter von 63 Jahren.

[Rainer Malkowski: Die Gedichte \(planetlyrik.de\)](http://planetlyrik.de)

[Rainer Malkowski: Gedichte \(planetlyrik.de\)](http://planetlyrik.de)

[30 Jahre Poesie in einem Band \(deutschlandfunk.de\)](http://deutschlandfunk.de)

[Rainer Malkowski \(rainer-malkowski.de\)](http://rainer-malkowski.de)

John Zorn

* 2. September 1953 in New York City

John Zorn ist ein US-amerikanischer Komponist, Bandleader und Multi-Instrumentalist. Außerdem arbeitet er als Musikproduzent, ist Inhaber des Plattenlabels *Tzadik* und des Veranstaltungsorts *The Stone* in Manhattan und hat mit vielen experimentellen Musikern, insbesondere im Bereich Neue Musik und im Jazz, zusammengearbeitet.

Zorn bekennt sich explizit zu seiner jüdischen Herkunft und verarbeitet in einigen seiner Projekte traditionell jüdische Elemente.



JOHN ZORN

IOANNES IRA LATINE APPELLATVS

BONVS ARTIFEX STIRPE IVD AEO

SEPTVAGINTA ANNIS ANTE NOVI EBORACI NATVS

VIVAT COMPOSITOR IASSICVS INSIGNIS

MMXXIII

JOHN ZORN, auf Lateinisch IOANNES IRA,
ein großer Künstler mit jüdischen Wurzeln,
wurde vor 70 Jahren in New York geboren.

Der ausgezeichnete Jazz-Komponist lebe hoch!

Rainer Kirsch

* 17. Juli 1934 in Döbeln/Sachsen

† 4. September 2015 in Berlin

Rainer Kirsch war ein deutscher Schriftsteller, Übersetzer und Lyriker.



RAGINHERVS KIRSCH
 SCRIPTOR INTERPRES POETA NOBILIS
 ANTE OCTO ANNOS
 DIE QVARTO SEPTEMBRIS
 BEROLINI EX VITA EGRESSVS
 AETATIS LXXXI

MMXXIII

Am 4. September vor acht Jahren starb
 der Schriftsteller, Übersetzer und berühmte Dichter
 RAINER KIRSCH
 im Alter von 81 Jahren in Berlin.

Rainer Kirsch trat als Autor von Lyrik, Dramen, Erzählungen sowie mit Essays, Hörspielen und Kinderbüchern hervor. Zudem schuf er zahlreiche Übersetzungen und Nachdichtungen aus dem Russischen (Ossip Mandelstam, Anna Achmatowa, Sergei Jessenin, Wladimir Majakowski, Daniil Charms, Jewgeni Jewtuschenko, Wladimir Wyssozki, Marina Zwetajewa, Maxim Gorki), dem Georgischen (Nikolos Barataschwili, Wascha-Pschawela), dem Englischen (John Keats, Percy Bysshe Shelley) und dem Französischen (Molière, Edmond Rostand).

Quelle: Wikipedia

William George Gillies

1898 – 1973



VIGINTI QVINQUE LVSTRIS ANTE NATVS
 GVLIELMVS GEORGIVS GILLIES
 PICTOR INSIGNIS
 QVINQVAGINTA ANNIS ANTE VITA DECESSIT

MMXXIII

Der ausgezeichnete Maler WILLIAM GEORGE GILLIES
 wurde vor 125 Jahren geboren und starb vor 50 Jahren.

Scottish painter and art teacher. For most of his life he was associated with Edinburgh College of Art. He graduated there in 1924, and after two years studying with Lhote in Paris, he returned as a teacher; he stayed until his retirement in 1966, serving as head of painting, 1946-60, and principal, 1960-66. His favourite subject was landscape, especially views in and around his home at Temple, a village about ten miles south of Edinburgh, where he settled in 1939: „On coming to Temple I began to cope with my new material by relying on simple planning and tonal relationships as subtle and evocative as I could make them.“ His work, which also includes still-lives influenced by Matisse, is indeed intimate, poetic, and completely unpretentious, and it has won him a position of affection as one of the most popular Scottish painters of recent times.

Text source: A Dictionary of Modern and Contemporary Art (Oxford University Press)

„The Royal Scottish Academy“ richtet heuer anlässlich des Doppel-Jubiläums eine große Ausstellung zu Ehren des Künstlers aus. Geplant ist zusätzlich ein umfangreicher Werkkatalog mit vielen bisher unveröffentlichten Arbeiten. Für das Buch werden außerdem auch noch Artefakte und verstreute Gemälde aus privaten Sammlungen gesucht: [Help us find paintings by William Gillies | Royal Scottish Academy](#)

Max Reinhardt

(ursprünglich Maximilian Goldman)

* 9. September 1873 in Baden (Niederösterreich)

† 31. Oktober 1943 in New York

Nach jüdischem Kalender

(siehe auch [Der jüdische Kalender - haGalil](#))

* 17. Elul 5633

† 2. Cheschwan 5704

Max Reinhardt war ein österreichischer Theater- und Filmregisseur, Intendant, Theaterproduzent und Theatergründer. Er hat mit seiner *Jedermann*-Inszenierung am 22. August 1920 die Salzburger Festspiele begründet. Reinhardt schätzte das „illusionistische, sinnbetörende Theater-Fest, das nichts mit dem Alltag, schon gar nichts mit Politik zu tun haben sollte“.

MAXIMILIANVS REINHARDT
DISPOSITOR
SPECTACVLI THEATRICI ET CINEMATOGRAFICI
ARTIFEX EGREGIVS STIRPE IVDICA
TER QVINQVAGINTA ANNIS ANTE
BADENIAE IN AVSTRIA NATVS

* * *

MAXIMILIANVS REINHARDT
INCLYTVS DISPOSITOR SCAENARVM AVSTRIACVS
STIRPE IVDICA
ANTE VNDEOCTOGINTA ANNOS
NOVI EBORACI EXSPIRAVIT

5783 (= 2023 nach dem jüdischen Kalender)


Der Theater- und Filmregisseur MAX REINHARDT,
ein herausragender Künstler mit jüdischen Wurzeln,
wurde vor 150 Jahren im österreichischen Baden geboren.

* * *

Vor 79 Jahren (nach dem jüdischem Kalender!) starb in New York
**MAX REINHARDT, ein berühmter österreichischer Regisseur mit
jüdischen Wurzeln.**

Jerzy Kamil Weintraub

* 27. August 1916 in Petrograd
 † 10. September 1943 in Warschau



GEORGIVS KAMIL VVEINTRAUB
 POETA IVDICVS LINGVAE POLONICAE
 INTERPRES EGREGIVS
 OCTOGINTA ANNIS ANTE
 VARSOVIAE E VITA EGRESSVS

MMXXIII

Der polnischsprachige jüdische Dichter und herausragende Übersetzer
 JERZY KAMIL WEINTRAUB starb vor 80 Jahren in Warschau.

Jerzy Kamil Weintraub war ein polnischer Dichter, Publizist und Übersetzer. Er starb, aufgrund des Krieges körperlich geschwächt und abgemagert, am 10. September 1943 mit nur 27 Jahren an einer Blutinfektion, die er sich durch eine Schnittwunde beim Rasieren zugezogen hatte.

Weintraub gilt u. a. als bedeutender Übersetzer von Trakl und Rilke ins Polnische. Im Gegensatz zu seinem berühmten, populären Dichterkollegen und engen Freund Krzysztof Kamil Baczyński (* 22. Januar 1921, † 4. August 1944) ist Weintraub in Polen so gut wie völlig in Vergessenheit geraten.

Susan Stebbing

* 2. Dezember 1885 in North Finchley, Middlesex

† 11. September 1943 in Northwood, Middlesex

Susan Stebbing war eine britische Philosophin. Sie gehörte der Strömung der Analytischen Philosophie der 1930er Jahre an und war Gründerin der Zeitschrift *Analysis*. 1933 wurde sie zur Professorin der Philosophie ernannt, womit sie die erste Frau im Vereinigten Königreich war, die einen Lehrstuhl für dieses Fachgebiet erhielt.

S V S A N N A S T E B B I N G
 P H I L O S O P H A E X C E L S A B R I T A N N I C A
 Q V A T E R V I G I N T I A N N I S A N T E
 I I I I D V S S E P T E M B R E S
 E V I T A E X C E S S I T
 A E T A T I S S V A E L V I I
 R . I . P .

M M X X I I I

Am 11. September vor 80 Jahren starb
 die herausragende britische Philosophin SUSAN STEBBING
 im Alter von 57 Jahren. Möge sie in Frieden ruhen.

„Some forms of ineffective thinking are due to our not unnatural desire to have confident beliefs about complicated matters with regard to which we must take some action or other. We are sometimes too lazy, usually too busy, and often too ignorant to think out what is involved in the statements we so readily accept. ...we easily fall into the habit of accepting compressed statements which save us from the trouble of thinking. Thus arises what I shall call 'Potted Thinking'. This metaphor seems to me to be appropriate, because potted thinking is easily accepted, is concentrated in form, and has lost the vitamins essential to mental nourishment. You will notice that I have continued the metaphor by using the word 'vitamins.' Do not accept the metaphor too hastily: it must be expanded. Potted meat is sometimes a convenient form of food; it may be tasty, it contains some nourishment. But its nutritive value is not equivalent to that of the fresh meat from which it was potted. Also, it must have originally been made from fresh meat, and must not be allowed to grow stale. Similarly a potted belief is convenient; it can be stated briefly, sometimes also in a snappy manner likely to attract attention. A potted belief should be the outcome of a belief that is not potted. It should not be held on to when circumstances have changed and new factors have come to light. We should not allow our habits of thought to close our minds, nor rely upon catch-words to save ourselves from the labour of thinking. Vitamins are essential for the natural growth of our bodies; the critical questioning at times of our potted beliefs is necessary for the development of our capacity to think to some purpose.“

Susan Stebbing

Quelle: [Susan Stebbing – Wikipedia](#)

Henry Darger

* 12. April 1892 in Chicago

† 13. April 1973 in Chicago

Henry Darger war ein zurückgezogen lebender amerikanischer Schriftsteller und Künstler, der in Chicago wohnte und jahrzehntelang als Hilfskraft in einem katholischen Krankenhaus arbeitete.

HENR ICVS DARGER
SCRIP TOR ET PIC TOR FVI T
ARTIFE X I GNOT VS
ANTE QVINQVAGI NTA ANNOS
IDI BVS APRILI BVS VITA DEFVNCTVS

MMXXIII

HENRY DARGER war ein Schriftsteller und Maler.

Der (zu Lebzeiten) unbekannte Künstler starb am 13. April vor 50 Jahren.

Geprägt durch eine Kindheit als Halbwaise (seine Mutter starb bei der Geburt seiner Schwester, die wiederum zur Adoption freigegeben wurde) und bald darauf als Vollwaise in Kinderheimen, begann Henry Darger (1892 - 1973) schon in seiner Jugend eine Gegen- und Phantasiewelt aufzubauen, die für ihn zur Zuflucht vor der Welt der Erwachsenen und zu einer zweiten Realität wurde. Unschuldige Kinder, vorpubertäre Mädchen und langhaarige Jungen stehen als Opfer oder auch gerechte Kämpfer den bösen Erwachsenen – Lehrern, Erziehern und Kriegsherren – gegenüber. Über einen Zeitraum von sechs Jahrzehnten widmete sich der als Krankenhaushausmeister arbeitende, einsiedlerisch lebende Darger fast ausschließlich der Schaffung eines einzigen Werkes, dem 15.000 Seiten umfassenden Epos *The Realms of the Unreal*, illustriert mit einer eindrucksvollen Serie von undatierten Aquarellen. Darger hat die Schrecken des Krieges gefiltert durch die Berichte der Zeitungen miterlebt und sie zuerst als Collagen und dann zunehmend freier visuell bearbeitet. Schlachten, Konzentrationslager und andere Tiefpunkte des 20. Jahrhunderts kommen in seiner Kinderwelt ebenso vor wie schillernde Fabelwesen und florale Landschaften.

The Realms of the Unreal (genauer Titel: *The Story of the Vivian Girls in What is known as the Realms of the Unreal or the Glandelinian War Storm or the Glandico-Abbiennian Wars, as Caused by the Child Slave Rebellion*) schildert Krieg, wie wir ihn uns in unserer kollektiven Psyche vorstellen: die „Unschuldigen“ sind engelhaft unschuldig, die Bösen unbeschreibbar grausam. Die Geschichte schildert die Schlacht zwischen sieben heroischen kleinen Mädchen, genannt die *Vivian Girls*, die eine Katholische Republik verteidigen und glaubensabtrünnigen Schlächtern, den *Glandolinians*.

Selbst den Wunsch hegend, nie erwachsen zu werden, und unermüdlicher Sammler aller Arten von Reproduktionen von Kindern, sind *The Realms of the Unreal* ausschließlich von Kindern bevölkert. Obwohl Darger nie einen Krieg erlebte – er wurde nur kurzzeitig für den Ersten Weltkrieg eingezogen – scheint er ihn durch sein obsessives Sammeln von Zeitungs- und Magazinausschnitten durchlitten zu haben. Seine Arbeiten, die er teils zu überdimensionalen Formaten zusammengenäht hat, sind gleichzeitig naiv charmant, grotesk und zutiefst irritierend und brutal.

Henry Darger verstand sich nicht als Künstler, es kam ihm nicht darauf an, sein Werk jemals ausgestellt zu sehen. Seine Arbeiten wurden erst posthum von seinen Vermietern, dem Bauhaus-Künstler Nathan Lerner und der Pianistin Kiyoko Lerner, entdeckt und veröffentlicht. Seither ist Darger eine Art Geheimtipp der internationalen Kunstszene.

Quelle: [Henry Darger – KW Institute for Contemporary Art \(kw-berlin.de\)](http://www.kw-berlin.de)

Otto Wels

* 15. September 1873 in Berlin

† 16. September 1939 in Paris

CENTVM QVINQVAGINTA ANNIS ANTE
 XVII KAL. OCTOBRES
 BEROLINI NATVS
 OTTO VVELS
 INSIGNIS VIR PVBLICVS
 OCTOGINTA QVATTVOR ANNIS ANTE
 XVI KAL. OCTOBRES
 LV TETIAE E VITA EXCESSIT

MMXXIII

Der ausgezeichnete Politiker OTTO WELS
 wurde am 15. September vor 150 Jahren in Berlin geboren
 und starb am 16. September vor 84 Jahren in Paris.

Kalenderblatt (zum Anhören): [Geschichte - Kalenderblatt \(deutschlandfunk.de\)](https://www.deutschlandfunk.de/geschichte-kalenderblatt)

Otto Wels war ein sozialdemokratischer deutscher Politiker. Er war von 1919 bis in die Zeit der Exil-SPD während der Herrschaft der Nationalsozialisten SPD-Vorsitzender. Von 1912 bis 1918 war er Abgeordneter des Reichstags des Deutschen Kaiserreichs, von 1919 bis 1920 Mitglied der Weimarer Nationalversammlung und von 1920 bis 1933 Abgeordneter des Reichstags der Weimarer Republik.

Nach der Machtübernahme der NSDAP am 30. Januar 1933, der Reichstagswahl am 5. März 1933 und der ersten Verhaftungswelle übernahm Wels es am 23. März 1933, für die SPD die Ablehnung des „Gesetzes zur Behebung der Not von Volk und Reich“ (Ermächtigungsgesetz) zu begründen, welches die nationalsozialistische Diktatur etablierte. Er tat dies trotz der bereits einsetzenden Verfolgung und der Anwesenheit von SA-Männern im Saal mit einer klaren Absage an den Nationalsozialismus. In dieser letzten freien Rede im Deutschen Reichstag sagte er: „Freiheit und Leben kann man uns nehmen, die Ehre nicht.“

Alle 94 anwesenden SPD-Abgeordneten stimmten gegen das Gesetz. Die 81 Mandate der KPD waren aufgrund der nach dem Reichstagsbrand erlassenen Verordnung des Reichspräsidenten zum Schutz von Volk und Staat durch die Hitlerregierung bereits am 8. März annulliert worden. Die restlichen Abgeordneten des Reichstags stimmten für das Ermächtigungsgesetz. Adolf Hitler antwortete auf die Rede von Otto Wels: „Ich will auch gar nicht, dass Sie dafür stimmen. Deutschland soll frei werden, aber nicht durch Sie.“

Quelle: Wikipedia

HAEC

CHRONOGRAMMATA ARTIFICIOSA

CONFECIT

TOBIAS RÖSSLER

ECHUS VOCES & EPISTULAE

ANSGARIUS OSLOENSIS

d.23. m.Aug. a.2023 h.09.04

Nicolao salutem Ansgarius

Quam vehementer homines Germanici desipiant, valde admiror, cum non tantum medica herbivora illa mirum in modum prorsus a mente discesserit, ut philosophiam moralem ad catenam alimentariam adhibeat, vero etiam interlocutores eius plane a ratione aversi videantur, utpote qui mera deliramenta loquantur. Omnia enim argumenta illius medicae facile diluuntur, si altius inspicimus principia quibus regitur civitas ac vita humana. Primum, maximi est momenti ut discrimen hominum faciamus, non quantum ad colorem cutis pertinet, quod oppido cordi est sinistrarum partium fautoribus, vero in rebus quae ad vitam et mores spectant. Itaque, amici censendi sunt homines, quicum in re publica plus minusve vitam agere possumus, scilicet citra inimicitiam violentissimam. In numero inimicorum atque hostium referendi sunt homines, qui cultum civilem nostrum delere volunt, qui deos nostros flocci faciunt, ut omnia sacra in re publica maculis aspergere turpiter conentur, qui tam filios quam filias, si liberi nobis sunt, stuprare, per omnia cava corporis, flagitiose cupiunt. Si vis pacem, para bellum. Igitur, semper ad bellum parati simus necesse est, cum fatum servorum perpetuo nobis impendeat. Vae victis, ut aiunt. Haec est lex vitae terrena. Quid de porcis? Porci et vaccae, nam crudelitas innecessaria semper vitanda, ita humaniter tractandi sunt, ut alimentum hominibus praebeant. Nonne inter omnes constat quantopere proteina hominum intelligentiam iuxta ac vires corporis stimulent atque augeant? Ethice, ut conicio, fundamenta non habet in mundo sublunari. **Caelestiter te salutat Ansgarius**

d.23 m.Aug. a.2023 h.11:11

Nicolaus Ansgario suo s.

Elato animo accepi verba quae facis de *Rafaelâ Rabidâ* sarcophagiae castigatrice. Unum tantum verbum non intellexi: "scara". Subestne lapsus calami? Explices hoc, quaeso, mi care Osloensis, et fruire iucundo die aestivo. Haec raptim, mox certê plura. **Nicolaus Leo Latinus**

d.23. m.Aug. a.2023 h.12:16

Ansgarius Nicolao s.

sacra, lapsus calami! **Vale, A.**

d.23 a.2023 h.15:33

Nicolaus Ansgario s.

Optimê, gratias. Quid tibi videtur de sententiâ *Petri Wohlleben* saltuarii, qui pro certo habet arbores sentire, dolere, gaudere, inter se mutuo adiuvare... Scribe quaeso quidquid tibi in buccam venerit. **Medullitus Nicolaus Leo Latinus**

d.24. m.Aug. a.2023 h.08:24

Nicolao salutem plurimam Ansgarius,

Nulla modo *Petrum Wohlleben* saltuarium, pium pariter ac sapientem, in ludibrium vertere velim. Procul dubio arbores et vivunt, et sentiunt, et cogitant, sed non ratione humana, nec more quidem bestiarum, si rem aliquantisper teneo. Ut videtur, si peritis historiae naturalis fidem habemus, fungi inter sese notionem rerum silvestrium communicant, et quantum coniectura assequi possumus, veri simile est idem facere arbores. Vix autem credibile est, arboribus conscientiam esse, ut in fabellis anilibus vel fabulis romanis *Johannis Tolkien*. Itaque, quid re vera significet vita arborum, quae vocatur, in maximis tenebris obrutum est. Quaestio est enim praeter modum spinosa, quae epistemologiam, theologiam, philosophiam, scientiam rerum naturalium, artemque logicam amplectetur. Semper cum homunculus diligenter naturam rerum indagat, eadem ratione in se ipsum inquirat. Neque enim, nisi omnino fallor, licet hominem ab universitate mundi seiungere. Quid igitur de saltuario nostro? Cum iam multos annos in silvis obscuris atque asperis versetur, observatione accurata iuxta atque animo suo attento ac flexibili adducitur, ut vitam arborum tenuiter mente fingat. Hoc modo, et melior homo, et saltuarius fit optimus. Permulta enim quae nisi per nebulam ratione non comprehendimus, aliquantulo clarius imaginatione percipimus. Quod bene intellexerat *Johannes Tolkien*. **Silvatice te salutat Ansgarius**

d.25 m.Aug. a.2023 h.15:52

Nicolaus Ansgario suo optimo [sal.pl.](#)

Gratias pro consideratione tuâ dendro-philosophicâ subtili. Tu affers opus *Tolkienianum*, ego attuli imagines ex "*Nicolao Klimio*" *Holbergiano* excerptas; quibus auctoribus nixi vitam arborum secretam indagare possumus. - Nunc, care Ansgari, transgredior ad thema tui dilectissimum, ad artem figurativam. Amicus quidam meus, cui nomen est *Naevius Sartorius*, nuperrimê cum familiâ suâ iter fecit in Norvegiam mihi que photographemata misit, quibus insunt statuæ ab artifice Norvegiae illustri confectae. <https://de.wikipedia.org/wiki/Vigelandsparken> - Tu quia artis figurativae multo doctior es quam ego, certê multa scis de *Vigelandio*. Quid censes de eius artificiis? Placentne? Quanti aestimas ea? Estne unus ex huius generis artis praestantissimis an nihil est nisi vilis copiator? - Animo suspenso exspecto iudicium tuum. **Vale semper, Nicolaus.**

d.26. m.Aug. a.2023 h.08.07

Nicolao salutem Ansgarius

Non longê sita est domus mea a viridario *Vigelandio* (*Vigelandsparken* ut vocatur sermone vernaculo), ubi primo diluculo, ad valetudinem curandam, currere soleo. In hoc viridario multae statuæ, ab *Vigelandio* illo confectae, sunt admirandae, semper ut multos peregrinos hinc illic ambulare videas. Etiam licet museum *Vigelandium*, spatio propinquum, visitare. Perpauci autem sunt homines, qui hoc museum, ubi artificis adumbrationes iuveniles mirabiles, inter alia, spectantur, perlustraverint. Certe *Gustavus Vigelandius* censendus est maximus sculptor. Cum attentius facturam simulacrorum eius inspiciamus, quam mire haec corpora lapidea secundum naturam mirandis in volutationibus sese agitentur, non sine delectatione contemplantur. Interdum etiam animi commotiones, ut in puerulo illo irato, graphice effinxit *Vigelandius*. Creaturas quoque fabulosas, ut serpentes ac dracones, in nonnullis locis absconditis licet admirari. Quod cum ita sit, hic artifex, verum si fateri volo, non mihi perplacet. In his viris et mulieribus septentrionalibus, corpore sano atque animo

intemerato, discrimen sexuum non facile fit, nisi partes aspicias pudendas. Quod non efficitur ob ambiguitatem formae delicatam, sed quod integris viribus moribusque incorruptis, et praeter modum, victu atletico corpus firmaverunt. Vigelandius, ut conicio, in arte sua voluit integritatis ac fortitudinis cultorem strenuissimum haberi. Verumtamen, in Musis colendis, maximi est ponderis, ut quidem censeo, ne nimum studiose virtutem sequamur, neu diligentius quam aequo valetudinem curemus. Sed homo barocus sum, et degener, qui non nisi umbratice ex rebus parum honestis furtim oblectationem capiam dubiam. Nihilo secius, semper omnibus peregrinis viridarium Vigelandium valde commendo. **Cura ut valeas!**

d.26. m.Aug. a.2023 h.10.57

Nicolaus Ansgario s.

Gratias plurimas, mi care Ansgari, quod artem Vigelandii animo aequo atque intemerato censuisti. Equidem, ut verum confitear, priusquam ab amico illo certior factus eram, Vigelandium omnino nesciveram. Iudicium tuum maturum proximâ in Epistulâ Leoninâ publicabo. Vale **φιλοσοφώτατα**. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

MARCUS CRISTINI BRIXIANUS

d.25 m.Aug./a.2023 h.15:59,

Nicolaus Marco suo Brixiano optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, care Marce? Fruerisne adhuc feriis tuis aestivis? Utinam tibi fuerit et sit occasiuncula animi et corporis sat superque relaxandi! Accepistine EL 283? Quid tibi videtur de *Rafaelâ Rabidâ*, quae esum carniū velit prohibere? Quid dicis de *Petro Wohlleben* saltuario, qui pro certo habet arbores sentire et dolere et gaudere et mutuo inter se adiuuare? Iamne audivisti canticum, quod cantavit *Alexandra* de morte arboris amicae suae? Scribe mihi, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.29.08.2023 um 12:59

Marcus Nicolao optimo s.p.d.

Gratias tibi ago, care sodalis, pro epistolio tuo. Ferae aestivae, proh dolor, fuerunt. Nivariam reliqui paulo antequam ignes partem haud parvam terrae illius amoenissimae vastarent. Fortunatus fui, praesertim quia ipsa loca lustravi, quae incendium paucis elapsis diebus pervasit, lucum dico pinorum celsarum, qui ob inopiam pluviae admodum erat siccus.

Epistulam Leoninam 283 accepi libenterque legi. De Rafaela animalium tutrice vehementissima quid dicam? Ego quoque crudelitatem erga animalia cruciatusque sine ulla cunctatione reprehendo, sed hi vaccarum porcorumque defensores strenuissimi mihi puelluli esse videntur, qui societatem legesque naturae minime intellegunt. Nisi enim opus esset carne animalium ad homines sustentandos, nullus esset grex, nulla armenta, nulla cohors pullorum. Omnia animalia, quae Rafaela illa

verbis acrioribus tutari conatur, nascuntur, nutriuntur, adolescunt et interdum ad aetatem satis provectam perveniunt hac sola causa, ut satisfaciant commodis humanis. Si in silvis viverent ut apri et uri, macri plerumque essent, laceri, ob timorem luporum ferarumque formidulosi. Praeterea homines usitate pecora velociter mactant aut ob misericordiam quandam aut ad lucrum celeritate augendum, leones vero et tigrides saepe ea saeviter dilaniant eduntque adhuc spirantia.

Si transimus ad animalia minora, verba Rafaelae zoophilae absurdiora sunt. Quid enim de muribus, qui non solum urbes nostras polluunt sed etiam insulas remotas invadunt et animalia pristina eaque rarissima vorant? Num servabimus mures dum species endemicas ad internicionem redigunt? Quid de insectis perniciosis, quae frumenta pomariaque foedant aut morbos exitiales pueris transmittunt? Quid de bacteriis, quae viros mulieresque paucis diebus ad limina mortis ducere possunt? Oportet fortasse medicamenta antibiotica vitare, ne bacteria necentur?

Quid postremo de arboribus plantisque, quae, ut monstrasti, non aliter ac animalia sentiunt, gaudent dolentque? Nuper legi librum professoris Stephani Mancuso, clari botanici, qui *Viride fulgens: sensus et intelligentia regni vegetabilis* inscribitur (Italice *Verde brillante. Sensibilità e intelligenza del mondo vegetale*), quo dilucide ostendit plantas non solum motus tactusque percipere et comites earum virides statim certiores facere cum primum eas insectum vel alia bestiola oppugnet, sed etiam quid nuper acciderit memoriae mandare, ut ipse expertus sum in horto botanico Tubingensi. Viridarium enim primum lustravi paulo post abrogationem auspiciatissimam legum de morbo coronato debellando et solus in vitrea cella permagna ambulans tetigi *Mimosam pudicam*, quae folia retrahit quotienscumque digitos sentit hominum. Post mensem illuc redivi die Dominico et in cella inveni laetum gregem puerorum, qui mimosam iterum iterumque tangebant ut miraculum plantae moventis viderent. Cum autem misera herba vicies adrectata esset et intellexisset pueros esse innoxios, folia primum lentius movit, dein constitit.

Quae cum ita sint, aut nihil praeter aerem inanem est edendum, quia et animalia et plantae sentiunt, aut sine avaritia, crudelitate et stultitia animantia et virentia sunt haurienda, ut victum hominibus praebeant. Nam *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (Io 12.24). **Optime vale.**

d.29. m.Aug. a.2023 h.20.42

Nicolaus Brixiano suo sal.pl.

Multum me delectas, Marce carissime, litteris tuis: quibus te praestas philologum disertum et naturae verè peritum. Observationes botanicas Mancusianas necnon tuas proprias mirabiliter describis. In fine autem exornas litteras tuas elegantissimas sapientiâ biblicâ: verba affers *Sancti Iohannis Evangelistae*, quae optimè quadrant ad argumentum! Cimelium Leoni Latino donasti fulgentissimum. Vale basilicè et pancraticè, mi care amice, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS

d.23. m.Aug. a.2023 h.21.10

Victorius Nicolao, strenuo Latinitatis vivae propugnatori, s. p. d.

Lectis et perlectis, optime Nicolae, Epistulis Leoninis 281 et 282, promissum, de quo abhinc aliquot dies mentionem tibi feceram, nunc tandem persolvo, ut “audiatur et altera pars”, sicut non semel admones. Ut scriberem quae sequuntur (in quibus neque elegantia neque verborum ornatus erit) occasionem dedit Godo Lieberg, qui (cfr ‘Epistulam Leoninam’ 281, p. 23) collegae cuidam Latine scripserat, sed ab isto collega responsum accepit Theodisce exaratum. Inde, recte si memini, ob istud responsum Godo aliquanto stomachatus est. Sicut ille Godonis collega, videlicet Latinitatis vivae minime fautor, ita se gerit Ivanus Dionigi (n. a. 1948), emeritus linguae Latinae professor (quam docuit in Bononiensi Universitate, et eiusdem Universitatis per aliquot annos rector fuit). Quid igitur de Latinitate viva sive de activo linguae Latinae usu nec non de seminariis et conventiculis, quae nonnullis in orbis regionibus (praesertim in Patria tua) institui solent, censet Ivanus? Mox eius verba legentur. Exeunte mense Aprili a. 1998 Montellae, quod oppidum in Abellinensi provincia situm est, Aloisius Miraglia conventum, cui titulus ‘Docere’, instruendum apparavit. Multi homines docti adfuerunt. Paucis autem post septimanis Ivanus scripsit haec: «(ex Italico sermone in Latinum etsi inconcinne converto): Etiam causae iustae, si ab ineptis patronis tractantur, cladem accipiunt. Causa iusta est, mea quidem sententia, quae ad culturam classicam spectat. Quare mihi non persuasit nimis renuntiatus conventus internationalis, qui prope Neapolim mense Aprili habitus est. Quo in conventu <iterum lingua Latina sicut viva proposita est> [Italice: <(convegno) che ha riproposto il latino come lingua viva>]. At lingua latina mortua est; irremediabiliter et addiderim - cum (poeta) Eliot - feliciter mortua, quoniam eius morte effectum est ut (huius linguae) hereditate frui possimus. Adaeque mihi non persuadent eae sodalitates, quarum participes Latine loquuntur, Latine scribunt [sic!], secundum confectiones Latinas coquunt» (FONS symbolae ab Ivano scriptae: acta diurna Bononiensia, quibus Italicus index ‘il Resto del Carlino’, die 22 Iul. a. 1998 edita, p. 5). Die autem 29 Iul. 1998 eisdem in actis (p. 11) edita est epistula quaedam mea, cui titulus: ‘Latine loqui et scribere non vultis? Bene: ergo libitinarii estis’. Qua quidem epistula, ut ex titulo patet, omnia verba Ivani, quae supra rettuli, confutare sum conatus. Praeterea Ivani fama ut Latinista ‘culturae classicae’ fautor admodum crevit postquam is praeses Pontificiae Academiae Latinitatis factus est. Ut hoc praeclarum munus Ivano adtribueretur ei auxilium tulit Ianus Francus Ravasi, S. R. E. cardinalis idemque auctoritate summa praeditus in eligendis hominibus, qui variis ecclesiasticis provinciis culturalibus praesint. Doctissimus est hic cardinalis, sed linguae Latinae vivae minime favet. Quare mirum non est quod ab hoc cardinali Ivanus electus sit etiam ut moderator commentariorum Vaticanorum quibus index ‘Latinitas’. Qui quidem commentarii - hoc referre necesse est - per sexaginta annos (nempe ab anno 1953 usque ad annum 2012, ter quaterve in annum prodeuntes) semper Latine sunt editi, id est in eorum paginis nihil legebatur

quod non Latine scriptum esset. Quod autem ab anno 2013 accidit his commentariis, tu, Nicolae, iam in Epistula Leonina n. 162, p. 8 innueras: scilicet nunc exstare, quod ad periodicos Latinos pertinet, tantummodo 'Vox Latina' et 'Melissa'. Ivanus autem, perstans in eadem opinione supra relata, postquam eorum commentariorum praeses factus est, symbolarum habitum mutavit ita, ut in volumine unico, quod Novembri 2013 editum est, et cui titulus: <Latinitas/ series nova>, paucissimae paginae (tantummodo 22, inter 209) Latine scriptae legantur. Atque Ivanus ipse tantum primas quattuordecim lineas symbolae suae (hac in serie nova editae) Latine composuit, dummodo aliae quattuor paene paginas (pp. 10-14) Italice scripsit. Nonne hoc absurdum? En quasdam Ivani sententias ex eadem symbola excerptas: «Neque placet neque iuvat ea identitatis et radicum lymphatica inquisitio, quae superstitem propria est. Cogito de quibusdam sodalitatibus, quae, cum ridiculum haud timeant, scopo, quem adsequi velint, nocent atque temporum ordine stulte neglecto, linguam Latinam ut vivam recipere quacumque ratione contendunt [haec Italice referenda sunt: «*Penso a certe 'sodalitates' che sfidando il ridicolo e nuocendo alla causa pretendono di recuperare anacronisticamente il latino come lingua viva a tutti i costi (...)*»]. Quid dixisset Caelestis noster, si ista legisset? Sed antequam ad finem perveniam, exspecta parumper, quaeso. Igitur Ivanus Dionigi de lingua Latina saepe mentionem facit, praesertim cum libros a se concriptos commendet. Quodam in colloquio percontativo diurnaria quaedam ab Ivano quaesivit: «Eritne nova series periodici 'Latinitas' inscripti tota Latine composita?». Ivanus: «Hoc olim fuit, sed tunc Latinitas artificiosa adhibebatur. Nos e contra linguae Latinae classicae favemus» [Italice: «*Lo è stata, e tra l'altro in un latino artificioso*»] (FONS: acta diurna Mediolanensia, quibus index 'Corriere della Sera', die 10 Mai. 2014 edita, p. 13). Sed quonam fundamento linguistico, logico, historico «artificiosa(m)» appellat Ivanus eam linguam Latinam per sexaginta annos eis in commentariis usurpatam a viris Latinitatis peritissimis, quos inter fuerunt ex. gr. Antonius Bacci, Hamletus Tondini, Iosephus M. Mir, Carolus Egger, Hector Paratore, Cletus Pavanetto, et alii multi, quorum scripta Ivanus Dionigi verisimiliter numquam legit? Haec habui, Nicolae, quae de altera parte (partem dixerim eorum linguae latinae cultorum, qui, etsi doctissimi, tamen spiritu carent (voci, quae est 'spiritus', sensum historicum adtribuo) apto, immo necessario, ut vere intellegatur quid fuerit ac sit, vel infeliciores hisce temporibus, lingua Latina, quae cum Romani imperii interitu mortua non est. **Optime valeas. Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis.**

d.23. m.Aug. a.2023 h.17:04

Nicolaus Victorio suo optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, care Victori? Perplacent mihi verba tua gravissima, quae coram Grege Toruniana fecisti ad Latinitatem Vivam defendendam. Laudo tuam gravitatem et fervorem. Accepistine EL 283? Quid tibi videtur de *Rafaelâ Rabidâ*, quae esum carnum velit prohibere? Quid dicis de *Petro Wohlleben* saltuario, qui pro certo habet arbores sentire et dolere et gaudere et mutuo inter se adiuvere? Scribe mihi, quidquid

tibi in buccam venerit. Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus

d.29. m. Aug. a.2023 h.19:13

Victorius Nicolao suo salutem.

In primis, optime Nicolae, soloecismum (= Victorius Nicolaum...) excuses velim, in quem die 23 Aug. incidi, postquam epistulam de Ivano Dionigi, acerrimo Latinitati vivae adversario, scripseram tibi. Gratias igitur in antecessum plurimas, si eam integram epistulam dignam putaveris, quae in 'E. L.' edatur. Nunc ad Leoninam tuam numero 283 signatam venio. 1) De muliere, quae absurdum nefandumque existimat id, quod semper homines fecerunt et faciunt ut vivant, scilicet animalia edere, nihil dicam, quia- ut quidam olim scripserat- "ubi deest in divinis commune fundamentum, ibi frustra disceptatur"; equidem addo: 'et in terrestribus'. Ceterum tu quoque paginà 65 eiusdem Epistulae iure quaesisti: «Num nemo vere probus est, nisi fame pereat?». 2) Me admodum tenuit praefatio operis, quod 'Institutiones Technologicae Langsdorfianae' inscribitur. Placuit etiam fabula c. t. 'De vestificulo prudente' (sed cur non, quaeso, 'prudenti'?). Eadem in fabula (p.52) legitur sententia haec: «accidit ut...»; quam tamen duo verba temporalia secuntur modo indicativo, neque modo coniunctivo, qui rector mihi videtur. Denique me tuarum Leoninarum, e quibus semper nova quaedam atque utilia addisco, lectorem esse adsidium scias. Optime valeas, eximie Latinitatis vivae defensor ac propugnator. **Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis.**

d.29. m. Aug. a.2023 h.21.42

Nicolaus Victorio sal.pl.

Summas gratias, care Victori, pro litteris tuis doctis et disertis et benevolis. Magnam admirationem mihi iniecisti litteris prolixis d.23.Aug. missis, ubi te praestas historiae Latinitatis vivae peritissimum. Equidem maximè facio tales *considerationes historicas*: nam nos, ut ait ille *Bernardus Carnotensis* circa a.1120, sumus quasi *nani gigantum umeris insidentes ut possimus plura eis et remotiora videre, non utique proprii visus acumine, aut eminentia corporis, sed quia in altum subvehimur et extollimur magnitudine gigantea*. Ceterum maximam etiam vim attribuo *epistolographiae*: semper mirabiliter delector commercio litterarum, quae tantâ cum gravitate tantâque cum elegantia scriptae sunt, quantâ tuae, mi amice humanissime. Ceterum gratissimum mihi semper facis, cum argumenta *Epistularum Leoninarum* ad obrussam exigis. Gratias pro omnibus tuis emendationibus atque commendationibus. Vale quam optimè, mi Victori carissime, et perge mihi favere. **Vale, Nic. LL.**

ALEXIUS VESTIGIARIUS

d.02. m. Sept. a.2023 h.10.48

Alexius D.ri Nicolao Groß s.q.p.d.

Ignoscas, rogo, silentium, vir humanissime; permultas tibi gratias ago pro fasciculis et epistulis. Ecce, si placebit, commentariolum meum. - Inter cetera rogitas super

versionibus ex Ludovico Uhland; iste iam diu mihi placet, habeo domi libellum carminum selectorum Lipsiae anno 1895 editum. Quod attinet ad *Boni sodalis* interpretamenta Russica, primum est versio interlinearis, alterum *Basilius Schukowski* fecit. Etiam alia exstant, in pagina Uhlandiana vicepaedica tria sunt exposita: https://ru.wikipedia.org/wiki/%D0%A3%D0%BB%D0%B0%D0%BD%D0%B4_%D0%9B%D1%8E%D0%B4%D0%B2%D0%B8%D0%B3 Quorum illud *Villelmi Lewick* praeclari interpretis Sovietici mihi maxime cordi. Ceterum etiam ista versio Ucrainica potius interlinearis esse quam poetica videtur, licet Ucrainicae linguae sim ignarus. Haec mihi scribenti succurunt duae in Theodiscum versiones sequentiae «Pange, lingua». Ecce quomodo verterit *Fridericus Wolters*:

Singe, zunge, des gewaltigen
Leibes tief mysterium
Und des blutes des dreifältigen,
Das zu dem erlösertum
Als die frucht der holdgestaltigen
Ward verströmt dem menschentum.

Uns geboren, uns gegeben
Aus der jungfrau ohne mal,
Konnte ihn der weit verweben
Nur des Wortes samenstrahl,
Bis sein kurzes erdenleben
Schloss beim wunderbaren mahl.

In der letzten nacht im kreise
Lagernd seiner jüngerschar,
Als des alten mahles weise
Nach gesetz vollendet war,
Reichte er sich selbst als speise
Mit der hand den zwölfen dar.

Brot ward fleisch nicht nur zum scheine
Durch das fleischgewordne Wort,
Christi blut ward aus dem weine:
Wenn der sinn davor verdorrt,
Reisst der glaube doch das reine
Herz allein zum schauen fort.

Also lasst dem Sakramente
Uns in tiefer ehrfurcht nahn,
Alle alten dokumente
Weichen vor der neuen bahn,
Und des glaubens elemente
Stehen für der sinne wahn.

Dem Erzeuger lasst uns weihen,
Dem Erzeugten lob und sang,
Lasst uns ehren, benedeien
Aus des herzens Überschwang,
Der hervorgeht aus den zweien,
Ihm sei gleicher jubelklang.

Sed in libro qui inscribitur «Gotteslob» (Bochumi 1975) legitur altera versio, interprete Maria Ludovica Thurmair:

Das Geheimnis lasst uns künden, das uns Gott im Zeichen bot:

Jesu Leib, für uns're Sünden hingegeben in den Tod.
Jesu Blut, in dem wir finden Heil und Rettung aus der Not.

Von Maria uns geboren, ward Gott Sohn uns Menschen gleich,
kam zu suchen, was verloren, sprach das Wort vom Himmelreich,
hat den Seinen zugeschworen: Allzeit bin ich bei euch.

Auf geheimnisvolle Weise macht er sein Versprechen wahr,
als er in der Jünger Kreise bei dem Osterlamme war,
gab in Brot und Wein zur Speise sich der Herr den Seinen dar.

Gottes Wort, ins Fleisch gekommen, wandelt durch sein Wort den Wein
und das Brot zum Mahl der Frommen, lädt auch die Verlor'nen ein.
Der Verstand verstummt beklommen, nur das Herz begreift's allein.

Gott ist nah' in diesem Zeichen. Knieet hin und betet an.
Das Gesetz der Furcht muss weichen, da der neue Bund begann.
Mahl der Liebe ohnegleichen, nehmt im Glauben teil daran.

Gott dem Vater und dem Sohne singe Lob, du Christenheit;
auch dem Geist auf gleichem Throne sei der Lobgesang geweiht.
Bringet Gott im Jubeltone Ehre, Ruhm und Herrlichkeit. Amen.

Quid sentis de utraque? Cura, ut optime valeas!

d.02. m.Sept. a.2023, h.12:45

Nicolaus Alexio suo Vestigiario sal.pl.

Gratias ineffabiles, care Alexi, pro textibus et imaginem patris tui, quâ aspectâ statim recordatus sum faciem tuam inter sessionem zoomianam aspectam. De patris tui vitâ quae magnâ cum pietate scripsisti, libenter in lucem êdam. De versionibus inter se comparandis mox tibi scribam. Haec brevissimê, mox certê plura. Vale pancraticê, mi care amice, et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

d.04. m.Sept. a.2023, h.21:05

Alexius D.ri Nicolao suo Gross s.q.p.d.

Gratias plurimas tibi ago quam pro epistula tam pro consilio symbolae divulgandae. Recte dicis nos cum patre similes esse (an fuisse?), istud semel et saepius audiebam. Ceterum te rogo, ut nisi sero mutes in initio: «Haud raro fit, ut nobis... RAPIANTUR» pro ERIPIANTUR, quod videatur Latinius. In antecessum iterum gratias magnas tibi ago. **Cura, ut quam optime valeas!**

d.05. m.Sept. a.2023, h.02:52

Nicolaus Alexio s.

Quomodo tibi, o Alexi, placet tibi hoc canticum? Quid tibi videtur de pronuntiatu Alexandrae cantatricis? Estne bene intellegibilis? **Vale semper, Nicolaus**

<https://www.youtube.com/watch?v=bvn7aERu4Bg&list=RDMM&index=17> Russkaja Ziganskaja Pessnja

d.05. m.Sept. a.2023 h.12:07

Alexius D.ri Nicolao Gross s.p.d.

Gratias tibi ago pro epistolio. Alexandra cantat valde notum et bonum carmen Sovieticum «De amico», nequaquam cingaricum (sed in Vicepaedia legi istam etiam

Cingarorum carmina cecinisse). Pronuntiatus eius valde bonus est, etsi non omnino Russicus, tamen omnia optime intelleguntur. Ista cantatrix erat mihi ignota, ex Germanis placent *Angela Wiedl* et *Franciscus Lang* (cantus ut ita dicam iodelicus), *Heino*, chori *Bothonis Lucae* et *Pauli Biste*. **Cura, ut valeas quam optime!**

d.05. m.Sept. a.2023 h.12:39

Alexius D.ri Nicolao Gross iterum sal.

Ecce eiusdem carminis versio apud nos notissima, cantore *Eduardo Chil*:

<https://www.youtube.com/watch?v=cjROly1pBBE>. Etiam Francogallica versio exstare videtur, sed huius linguae omnino imperitus sum: <https://ok.ru/video/753438298438>

d.05. m.Sept. a.2023 h.18:20

Nicolaus Alexio s.

Gratias pro explicatione. Alexandra iam pridem praematurâ morte admiratoribus suis abrepta est (1942-1969). Incommodo viali mortua est (circumstantiis aenigmaticis). Per paucos annos connubio coniuncta erat cum viro Russo 30 annis vetustiore (hac de causâ nomen eius gentilicium *Nefedov*). Variis linguis cantavit, etiam Russicâ. Sed nescio, quatenus sciverit Russicê loqui. Nata erat in regione, quae hodie est pars Lituaniae (theodisce *Heydekrug*, lituanicê *Šilutė*).

Notissima eius cantica fuerunt ea quae sequuntur:

<https://www.youtube.com/watch?v=BSlzN-Bbnks> Der Traum vom Fliegen

<https://www.youtube.com/watch?v=bADHWv-EDF8> Mein Freund der Baum • Original • Alexandra • 1968

<https://www.youtube.com/watch?v=AdbsVqD1CB8> Sehnsucht • Alexandra • 1968

<https://www.youtube.com/watch?v=qOahe2pY2j4> Zigeunerjunge Original Alexandra 1967

<https://www.youtube.com/watch?v=d3JNnJks2Ec> Ja Lublú Tebjá (Ich liebe dich)

Hîc nonnulla invenies de eius vitâ et canticis:

[https://de.wikipedia.org/wiki/Alexandra_\(S%C3%A4ngerin\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Alexandra_(S%C3%A4ngerin)): **Alexandra** (bürgerlich *Doris Alexandra Nefedov*; * **19. Mai 1942** als Doris Alexandra Treitz in *Heydekrug*; † **31. Juli 1969** in *Tellingstedt*) war eine *deutsche Sängerin*. Bekannt wurde sie Mitte der 1960er Jahre mit Liedern wie *Mein Freund, der Baum*, *Sehnsucht (Das Lied der Taiga)* und *Zigeunerjunge*...

Quid tibi videtur de hac cantatrice eiusque canticis? Sunt aliquatenus melancholica. Vox nonne est insolita, ferê mirabilis? Heionem certissimê nôvi et chorum *Bothonis Lucae* (sunt notissimi); sed *Angelam Wiedl* et *Franciscum Lang* et *Paulum Biste* - ut verum confitear - omnino ignoro. Quos certê auditorus sum. Musicae classicae et ecclesiasticae optimê perita est uxor mea, quae organo et clavili modulatur. Haec breviter, mox certê plura. Vale semper basilicê, mi care Alexi. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus

d.5. m.Sept. a.2023 h.18:45

Nicolaus Alexio s.

SOPHÔS! *EDUARDUS* (sc. *CHIL*) ET CANTAT ET SIBILAT ADMIRABILITER!!!

Vale, NIC.

d.06. m.Sept. a.2023, h.16:33

Nicolaus Alexio s.

Modo tibi misi epistulam, quae spectat ad versiones illius cantici ecclesiastici, c.t. PANGE LINGUA. Sed propter problema technicum nescio, num acceperis. Scribe mihi. Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus**

d.06. m.Sept. a.2023 h.12:15

Alexius D.ri Nicolao Gross s.q.p.d.

Gratias tibi ago pro epistoliis hesternis. Sic est, Russia habuit multas voces admiratione dignas, et omnium maximus est fortasse *Muslimus Magomajev*: ...

...w.youtube.com/watch?v=r3Fg5oxYLFi <https://www.youtube.com/watch?v=9gkavGWyDz0>

<https://www.youtube.com/watch?v=5m7DO1f3Qck> <https://www.youtube.com/watch?v=3Y2aIXxwUWM>

Cura, ut optime valeas! -- Alexey Slednikov

Nicolaus Alexio s.

Gratias plurimas! Interim invêni etiam interpretem cantici c.t. *Pange lingua*, qui eiusdem versionum theodiscarum videtur esse peritissimus: Îdem est Germanus theologus (*1973 Siegen), nomine *Liborius Olaf LUMMA* et ipse versionem novissimam proposuit, quae nunc inest libro precandi officiali ("*Gotteslob*"). In situ interretiali explicat subtiliter, quales sint difficultates huius cantici theodiscê reddendi: https://www.uibk.ac.at/theol/leseraum/texte/749.html#_ftn1 "*Zunge, künde das Geheimnis*" (*Der Versuch einer Neuübertragung des Fronleichnamshymnus Pange lingua*). - In adnotationibus afferuntur etiam auctores et symbolae aliorum interpretum et commentatorum. cfr symbola wikipediana: https://de.wikipedia.org/wiki/Liborius_Olaf_Lumma cfr Liborii pagina interretialis domestica, cui inest etiam inscriptio electronica:...

Vale, NIC.

d. 06. m.Sept. a.2023 h.15:44

Alexius D.ri Nicolao Gross s.p.d.

Sic est, utramque epistulam tuam accepi gratias agens. Nesciebam etiam nostris diebus novas versiones huius cantici componi. Paulo post diligentius inspiciam.

Cura, ut optime valeas!

d.06. m.Sept. a.2023 h.21:09

Alexius D.ri Nicolao Gross s.p.d.

A te musicê excitatus nescio quis sit melior: *Lucianus Italus* an *Muslimus nostras*. Mihi videntur esse aequi. Ipse decernas, amissa Luciani versione omnibus nota propono Muslimum:

https://www.google.com/url? a=t&source=web&rct=j&opi=89978449&url=https://m.youtube.com/watch%3Fv%3DefTBRvBOo0Y&ved=2ahUKEwjHw_T1ZaBAxVhGBAIHbAED3UQwqsBegQIEhAG&usg=AOvVaw1dnYt5tb aqL1n-jaPvWHzp

Valeas quam optime!

GUSTAVUS TAVARES BRASILIANUS

d.23. m.Aug. a.2023 h.11:43

Nicolaus Gustavo optimo sal.pl . s.v.b.e.e.v.

Care Gustave, versione tuâ fabulae Bocatianae perlectâ tibi gratulor: Cum optimê feceris, perge, quaeso, Orbem Latinum tuis versionibus ditificare! Nuper tibi misi Epistulam meam Leoninam. Accepistine EL 283? Quid tibi videtur de *Rafaelâ Rabidâ*, quae esum carniū velit prohibere? Quid dicis de *Petro Wohlleben* saltuario, qui pro certo habet arbores sentire et dolere et gaudere et mutuo inter se adiuuare? Iamne audivisti canticum, quod cantavit *Alexandra* de morte arboris amicae suae? Scribe mihi, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

d.26. m.Aug. a.2023 05:11

Gustavus Nicolao Leonino sal.

Tuae mihi gaudia attulerunt litterulae, quibus me certiore fecisti de eo quod interpretationem bocatianam apud DOMVM EPHEMERIDEM nuper vulgatam legisti et lectam probasti. Scias velim me magni facere ut tantus litterarum cultor mea incepta, quae tamquam prima vestigia pango in mediumque pando, non minoris aestimes, sed eo usque verbis cumules ut me studio commoveas honesto atque ad altiora aggredienda ultra stimules. Tuas ego assiduas epistulas leoninas lectito, non quidem singillatim, sed ea quae me magis alliciant. In his, re poeticâ summopere delector, unde aio me, otio dato, manu tenuisse et corde legisse Horati Antoni elegiam (EL 283, pp. 8-9), dulce prorsus carmen, maestitiâ tamen - ut ad rem convenit - illitum. Id unum animadverto, praetera mihi satis molle simul et ingeniosum, quòd in versu 44 legatur "*fluctus horrisonus*", in quo loco auctor illam vocabuli "*fluctus*" posteriorem syllabam produxit ante litteram "h", quae componendi ratio graecum quiddam sapit. Ne plura, hoc dumtaxat exemplum et id Vergilianum laudare est imprimis clarum notumque:

ille, latus niueum molli fultus hyacintho (Ecl. vi 53)

Haud secus heic, hiatu quodam effecto, syllaba brevis in tempus (vel - ut assolent nonnulli usurpare - in moram) producitur : *fluctus horrisonus* || *murmure dura lavat*.

Accedit quod tibi laeto animo gratuler oportet, qui permulta latine interpretaris summâ cum perspicuitate. Mihi equidem videris lepide expedite audacter, variis adhibitis vocabulis novissime fictis et ad locos apte convenientibus, in sermonem latinum convertere hodiernas notiones, qualiter me et ipse gerere velim. Adhuc iuvenis me ad calamum exercendum identidem conformo ac compono, meque video nimis velle Cicerones Vergiliosque sapere, oblitus id quod fortassis momenti sit non minimi: scilicet meâ ipsius indole artem scriptoriam insectari - quod vero hercle non fieri potest nisi nocturnâ manu et diurnâ scriptorum latinorum exemplaria versaverim: quae utraque eximie adeptus es, abunde et decenter (id est, uno verbo, *latine*) monumentum exigens perenne ad maius Latinitatis decus.

Vale basilice. Dabam Bello Horizonte, XXV mensis Augusti, anno MMXXIII

OLGA SADOVAYA

d.24. m.Aug. a.2023 h.19:13

Olga omnibus (sc. Gregis Toruniani participibus) spd.

Gratias vobis ago, quod benigne mihi fecistis. Liber de Gilgameso scriptus vênit hic in Amazonis taberna: [Gilgamesus: Iter Gilgamesi: Epicum Mesopotamiae](#) Auctor Brian Smith ASIN : B0CDNQCK65

Video auctorem etiam duos alios libros Latine scripsisse. Videntur esse libri periculorum pleni: "*Centurio Aelius Valerius: Pericula Sub Sole*" et "*Aelius Valerius et Saga Dacica: Usque ad Finem Mundi*". In Amazonis pagina interretiali potes introrsum libros spectare et paucas paginas legere. Quid de Latinitatis qualitate censetis?

Gilgamesum amo quia fortasse est antiquissima historia in mundo. Sumerorum mea valde interest. Non modo eorum structurae et res quas fecerunt me fascinant, sed etiam quod adhuc eorum scientia mathematica hodie utimur, exempli gratia horologio tempus indicante vel circulo 360 graduum. Fabulae Gilgamesi mea interest, quia eandem cum lego, possum aliquatenus cognoscere, quomodo homines vixerint ante quattuor vel quinque milia annorum. **Olga**

d.27. m.Aug. a.2023 h.15:01

Olga Gisela, Zohra ceterisque spd

Iucundum est audire de lêge *Hammurabi*, qua praescribitur, ut milites curent uxores suas. Talia non inveniuntur in fabula Gilgamesi. Mulieres, sed et pueri, periculum subeunt in Gilgamesum incidentes, cum iste cupiat cum omnibus concumbere. Tum demum cum *Enkidu*, homo silvestris et montanus, per meretricem in oppidum adductus contra Gilgamesum pugnet, mulieres tutae sunt. Credo Gilgamesum in hac fabula discere cupidini suae dominandi moderari et fieri regem modestum, non tyrannum. **Spero vos bene valere Olga**

d.27. m. Aug. a.2023 h.01:16

Leo Latinus Olga Gilgamesi peritissimae ceterisque sal.pl.dic.

Mira nobis narras, cara Olga, de carmine Gilgamesi. Scisne, num sit versio Latina huius carminis completa? Optimê valete, **Leo Latinus**

d.27. m.Aug. a.2023 h.22:48

Olga Leoni Latino spd

Ut reor versio completa est. Hic est Index Rerum:

PRAEFATIO

PROLOGUS: GILGAMESUS, REX INVICTUS, IN URUK

I. ADVENTUS ENKIDI

II. ITINERARIUM PER SILVAM

III. DE ISHTAR ET GILGAMESO, ET DE MORTE ENKIDI

IV. QUAESTITIO VITAE PERENNIS

V. NARRATIO DILUVII

VI. REDITUS

VII. MORS GILGAMESI

GLOSSARIUM NOMINUM

Spero te valere Olga

d.27. m.Aug. a.2023 h.23:30

Leo Latinus Olgae Sumerologae sal.pl.

Gratias plurimas tibi ago, cara Olga! Invêni textum ex hac versione excerptum:

<https://www.amazon.de/Gilgamesus-Gilgamesi-Epicum-Mesopotamiae-Latin/dp/B0CDNQCK65?asin=B0CDNQCK65&revisionId=&format=4&depth=1>

Dolendum est, quod sermo interpretis est salebrosissimus. Qui videtur scientiam suam linguae Latinae nimis magni aestimasse. Versio eius cum scateat mendis, sperandum est inventum iri interpretem Gilgamesi, qui Latini sermonis doctior sit. Dum spiramus speremus. Tibi mittam Epistulam Leoninam meam gratis et sine ullâ obligatione. Si perlegeris, scribas mihi, quid tibi videatur de symbolis et argumentis huius periodici Latinis. Tu autem vale pancraticê et perge litteras Latinas scribere quam plurimas. **Medullitus te salutat Leo Latinus**

d.28. m.Aug. a.2023 h.10:48

Olga Leo Latino spd,

Gratias tibi ago quod epistulam tuam misisti. Eam legam et postea respondebo. Miserum est tot errores inesse versioni Gilgamesi Latinae. Felicissimus eram legens id Latine. Quid de hoc libro putas:

https://www.amazon.de/gp/product/B0CFDB2JY8?ef_=dbs_m_mng_rwt_calw_tpbk_1&storeType=ebooks

Num etiam hic liber male scriptus est? **Spero te bene valere Olga**



ECCE ZHANNA SAMSONOVA DEFENSTRIX VEGANISMI

d.29. m.Aug. a.2023 h.10:55

Olga omnibus spd

Gratias ago Leoni Latino propter epistulam, in qua scriptum est de RAFAELA RABIDA TUTATRICE BESTIARUM, HERBIVORA HOMINIBUS PARUM PROPITIA

Hoc me commonefacit nuntii cuiusdam recentissimi: **Zhanna Samsonova**, defenstrix veganismi ex Russia oriunda, mortua est aetate 39 annorum; mors eius videtur effecta esse propter esum ciborum parum sufficientem. Eadem mulier in claritudinem pervenerat in interreti praedicans veganismum. Obiit die 21 Iulii dum auxilium medicum in Asiae Australis regione petebat. Zhanna D'Art cibos crudos comedendos per interrete cum praedicaret, per quattuor annos tantummodo fruges, semina elata e plantis helianthi, sucos fructuum madidorum biberat. Haec diaeta severa effectum

habuit fatalem, inde clare patet quantum valeat nutritio temperata et moderata a consuetudinibus nimis duris et extremis remotissima.

<https://www.indiatoday.in/lifestyle/people/story/vegan-raw-food-influencer-zhanna-dart-dies-39-starvation-2414577-2023-08-01>

In symbola a Leone Latino scripta etiam mentio de *speciesismo* facta est: Speciesismus appellatur suppressio atque discriminatio individuorum, quae non fit propter colorem cutis, qualis vocatur *phyletismus*, neque propter sexum, qualis vocatur *sexismus*, sed propter *speciem*. Id significat: Cum vectigal pro cane meo persolvere debeam, at homines qui alios animantes habeant ut felis, pisces vel aves, vectigal non persolvant, canis meus discriminatur. **Spero vos bene salvere Olga**

MAXIMILIANUS PULCHER MYSTAGOGUS AUGUSTANUS

d.10. m.Sept. a.2023 h.15:44

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Quid agis, Nicolae? Ecquid commode vales? Equidem de sorore mea sollicitus atque anxius sum. Nam morbus eius nondum decrevit et corporis infirmitas invaluit. Cancro laborat. Tamen proximo die Saturni, qui erit dies decimus sextus mensis Septembris (16.09.) hora a meridie secunda (14.00 h) ultima ambulatio aestiva huius anni erit. Si gregi nostro interesse vis, Augustam Vindelicum ad Portam Rubram (Am Roten Tor 1) veni! Te antea nomen dare aut te ascribere non erit necesse. Haec breviter. **Iam vale, amice!**

d.11. m.Sept. a.2023 h.14:22

Nicolaus Maximiliano suo sal.pl.

Gratias plurimas, care Maximiliano, pro litteris tuis et pro invitatione missâ. Praeconium ambulationis Augustanae libentissimê inseram proximae Epistulae Leoninae, quae est - ut aiunt alchymistae - in statu nascendi. Magnam symbolam scripsi *De Romanorum virtutibus*. Post permultas excursions Latinas in disciplinas maximê exoticas et recentissimas interdum iuvat et delectat reverti in disciplinas Latinitatis patrias, id est philologiam classicam et historiam Romanam. Utinam haec symbola tibi placeat. - Valdê doleo, quod proximo die Saturni mihi nulla occasio erit Augustam tuam serenissimam visendi. Da veniam, care amice, quod etiam nunc invitationem tui perhumanam sequi non possum. - Sed pro certo habeo fieri posse, ut proximo anno futuro aliam capiam occasiunculam. Quod dilatatum est, non est ablatum. Utinam ambulatio tua feliciter succedat. - Margaritam sororem tuam medullitus iubeo salvere; intimo ex corde ei exopto, ut corroborascit. Et tu tuique, mi care Maximiliane, quam optimê valeatis. **Nicolaus Leo Latinus.**

d.11. m.Sept. a.2023 h.17:22

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Admiratio mea crescit. Maximum argumentum tibi proposuisti. Certe optime de virtutibus Romanorum referes. Margarita a te salutata resalutat. **Vale!**

JOANNES CAROLUS ROSSI MEDIOLANENSIS

d.23. m.Aug. a.2023 h.17:52

Nicolaus Joanni Carolo sal.pl . s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, care amice? Interimne domum Mediolanensem tuam revertisti an alio loco versaris ad corpus animumque recreandum? Accepistine EL 283? Quid tibi videtur de *Rafaelâ Rabidâ*, quae esum carniū velit prohibere? Quid dicis de *Petro Wohlleben* saltuario, qui pro certo habet arbores sentire et dolere et gaudere et mutuo inter se adiuuare? Iamne audivisti canticum, quod cantavit *Alexandra* de morte arboris amicae suae? Scribe mihi, quidquid tibi in buccam venerit. Pancratice vale et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.23. m.Aug. a.2023 h.18:06

Joannes Carolus Nicolao s.

Foris, Nicolae, versor. Die Veneris domum redibo. Ibi episulam tuam recens allatam commode lectitabo. Interim apud consobrinam suavi hospitio Ansedoniae - antiquitus Cosa appellabatur, cujus manent ingentes parietinae - fruor beatus. **Vale, J.C.**

RADULFUS BONAEROPOLITANUS

d.23. m.Aug. a.2023 h.11:41

Nicolaus Radulfo suo Bonaeropolitano optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, care Radulfe? Accepistine EL 283? Quid tibi videtur de *Rafaelâ Rabidâ*, quae esum carniū velit prohibere? Quid dicis de *Petro Wohlleben* saltuario, qui pro certo habet arbores sentire et dolere et gaudere et mutuo inter se adiuuare? Iamne audivisti canticum, quod cantavit *Alexandra* de morte arboris amicae suae? Scribe mihi, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.23. m.Aug. a.2023 h.21:29

Carissime Leo Latine

His diebus, etsi septuagenarius sum, quibusdam occupationibus obruor. Hac de causa non tam celeriter tempus invenio. Esto, precor, mihi patiens: EL, ne dubites, legam. **Gratias quam plurimas, Radulfus**

d.23. m.Aug. a.2023 h.16:52

Leo Latinus Radulfo s.

Nulla modo te urgeo, care Radulfe. Scias etiam Leonem non iam esse iuvenilem. Proximo mense exeunte habebō duodeseptuaginta annos. Ergo nunc scis aetatem meam a tuâ non valdê remotam esse. Sed dicunt nostrates: "*Wer rastet, der rostet*", i.e. Qui nimis otiosus est, ferrugine obducitur. Placetne tibi hoc proverbium theodiscum? Vale semper, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.23. m.Aug. a.2023 h.22:28

Radulfus Nicolao s.

Valde mihi placet proverbium, quod ignorabam. Argumentum: te mediante in libellum meum electronicum misi (vide ultimam paginam). Gratias denuo, **Radulfus**

d.29. m.Aug. a.2023 h.02:20

Care Leo Latine, Gratias ob EL 283, quam misisti. Carmen a docto *Bologna* pactum laudo. Non minus autem laudo interpretationes Latinas quas de *Rafaëla* et de saltuario (hoc vocabulum, confiteor, ignorabam) parasti. Quid dicam? Mea sententia non huius hodierni mundi parva pars delirat. Extra veganismum nulla salus! Hae delirationes, in mea humillima opinione, surrectioni partium, in politica, dextrarum favent: in eas partes me inserere potes. Spero cras me ad te scripturum. **Valeas, Radulfus**

d.29. m.Aug. a.2023 h.05:01

Leo Latinus Radulfo suo Bonaeropolitano s.

Gratias ago pro recensione Epistulae Leoninae 283. Gaudeo te meas symbolas perlegisse. Sed quid sentis de cantico *Alexandrae*? Quia Pegasus meus claudicat, nihil nisi versionem pedestrem praebui. Nonne tu, qui es poeta, vis carmen pangere de arbore mortuâ? Nonne hoc est thema verê lyricum, quod dignum sit ingenio tuo? Ceterum in *Septimanâ mundanâ* Turicensi lêgi res politicas in patriâ tuâ nunc funditus mutatum iri, quia socialistis devictis electi essent conservativi. Quid de te, care amice? Estne tibi nova spes res Argentinas in meliores conversum iri? An manes scepticus? Vale semper pancraticê, mi care Radulfe, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**



JAVIER GERARDO MILEI (*1970 Bonaeropoli)
qui est Argentinus oeconomus, auctor,
politicus partis conservativae.

Sinistrâ in imagine *Xavierus* est bono animo et hilari, in dextrâ irascitur de latrocinio statali.

cfr **Augustinus** (De civitate dei, IV, 4, 1): **Remotâ itaque iustitiâ quid sunt regna nisi magna latrocinia?**



d.30. m.Aug. a.2023 h.00:11

Radulfus Nicolao s.

Care Amice, nondum *Alexandrae* cantum legi. Denuo a te patientiam Vlixeam peto, quia his diebus (res incredibilis, quoad meam aetatem!) magis solito occupatus sum. Gratias etiam tibi ago, quia nomen gentis “Turicense” ignorabam. - De rebus publicis, nulli parti politicae adscriptus sum sed **Xaverio Milei** faveo; unum de hoc oeconomio dicam: îdem me docuit *statum* (numquam litterâ maiusculâ utor ad hoc substantivum scribendum) maximum omnium latronum esse. Forsan Xaverius fiet praeses meae nationis, quae numerum prope centesimum quadragesimum inter alias nationes obtinuit (politicis nostris gubernantibus). - Quidam Xaverium delirare autumant. Forsitan veritas ab eis non absit... sed delirare cum eo mâlo. **Valeas semper, Radulfus**

d.30. m.Aug. a.2023 h.20:49

Radulfus Leoni s.

Carissime Leo Latine, denuo gratias plurimas ob doctrinam delectationemque quas ad nos Epistulis tuis mittis. Mea sententia carmen *Alexandrae* poetice reddidisti, quia fidelitate, opinor, versus Germanos secutus es. Nullo poeta indiges, quia tu unus eorum es. **Vale, Radulfus**

p.s. Numquam verbo telephonandi usus eram. Gratias!

d.30. m.Aug. a.2023 h.15:53

Leo Radulfo s.

O Radulfe, videris mihi blandiri! **Vale semper, LL**

d.31. m.Aug. a.2023 h.02:37

Radulfus Leoni s.

Nulla modo!

Vale, Radulfus.

URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS

18. m.Aug. a.2023 h.03:32

Urbanus Leoni Latino salutem.

Tibi breviter scribo, amice, ut tecum agam de oppido quodam Brabantiae Septentrionalis, cui nomen Nederlandense est *Roosendaal*. Nondum inveni eius nomen Latinum. Apud Vicipædiam autem, chirographum quoddam sæculi XIII scriptum fuisse traditur, per quod sacellum donatur «in loco dicto *Rosedale*». Hac appellatione interpretata, habemus Rosæ vallem. - Quibus rebus consideratis, poteritne oppidum appellari «Rosedālia»? An «Rosæ Vallis» magis convenit? An tibi aliter videtur? **Urbanus**

d.18. m.Aug. a.2023 h.11:45

LEO LATINUS URBANO SUO ONOMATOPHILOTATO*) SAL.PL.DIC.

Inveni, care amice, nomen Latinum a.1291 in testimonio adhibitum, quod spectat ad uliginem *turfaceam vendendam ("moer", "veengrond" = +turfetum); haec uligo sita erat prope Monasterium Sanctae Catharinae, in "het dal der rozen", i.e. Latine "Vallis Rosarum". Inde sumptum est nomen oppidi. En lege testimonium batavicum et gaude de nomine invento et perge mihi favere. **Medullitus te salutat LEO LATINUS**

*) onomatophilotos gr. i.q. "nominum amantissimus"

<https://www.heemkundekringroosendaal.nl/rooeszendaele/>

"In een acte van 25 december 1291 wordt de verkoop van een moer (veengrond) geregeld, gelegen naast onder meer het klooster (St. Catharinadal) in "het dal der rozen" en wel in het Latijn "de valle Rosarum". De Latijnse naam was dus "Vallis Rosarum" (3).

In een oorkonde van 5 november 1292, waarin een cijns uit grond wordt verkocht aan het klooster St. Catharinadal, ligt die grond onder "Rosendaale" (4). In een leenbeschrijving uit 1440 staat **Roesendaale** (5). Op 18 januari 1557 is in een gerechtelijk stuk nog sprake van de Vrijheijt van **Rosendale** (6), doch in 1635 wordt op de oudste klok in de toren vermeld: "Johannes Bapsista patronis muinicpii de **Rozendale**" (7)."

(3) P.C. Boeren, "van Haviksdonk tot Roosendaal", GR nr. 25 (1965) pag.72.

d.23.m.Aug. a.2023 h.16:38

Nicolaus Urbano suo optimo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, care Urbane? Accepistine ea quae scripsi de nomine oppidi Brabantici? Miror quod nondum respondisti. Displicetne tibi nomen testimonio mediaevali confirmatum? Accepistine EL 283? Quid tibi videtur de *Rafaelâ Rabidâ*, quae esum carniū velit prohibere? Quid dicis de *Petro Wohlleben* saltuario, qui pro certo habet arbores sentire et dolere et gaudere et mutuo inter se adiuvere? Iamne audivisti canticum, quod cantavit *Alexandra* de morte arboris amicae suae? Scribe mihi, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.24. m.Aug. a.2023 h.14:13

Urbanus Nicolao salutem.

Oh, quam inurbanus fui, qui tibi non responderim continuo! Scito, mi care Nicolae, nomen oppidi Brabantici originale perplacere mihi, cui iam ab adolescentia cordi fuit loca et oppida nominibus Latinis appellare. - Epistulam Leoninam, quam ad me misisti, et semel et bis evolvi, licet nodum omnia plane legerim. Ad esum carniū quod attinet, ipse olim negotiator fui. Tunc emporium habebam, ubi esculenta vendebam veganis et vegetarianis. Emporium illud iam reliqui. Sed experiendo, id est, considerando veganos et colloquendo cum eis, didici, quantis malis quantisque morbis corpora possint laborare, si eis desint proteina ab animalibus venientia. Qua de causa non possum consentire talem absolutam carnis prohibitionem. - **Bene vale, amice! Mox iterum colloquemur.**

d.24. m. Aug. a.2023 h.18:03

Nicolaus Urbano s.

Gratias plurimas pro responso. Mihi quoque videntur veganis deesse proteina, quae iisdem medicamentis additiis sumenda sunt. At talis surrogatio est omnino artificialis, non naturalis. Ceterum multi contendunt homines carne et alcohole et tabaco abstinentes esse magis pacificos quam fruenter. Sed exemplo contrario est ille dux Austriacus Germaniae omnium nocentissimus. Qui quamquam fuit tali abstinentia triplici, tamen fuit tyrannus saeculi vicesimi omnium infamissimus. Ergo abstinentia homines non semper facit sanctos et angelos. Haec hactenus, mox, si volueris, certè plura. Vale semper pancraticè. **Nicolaus Leo Latinus**

NAEVIUS SARTORIUS

d.24. m. Aug. a.2023 h.18:06

Naevis Nicolao s.

Gratias summas pro epistula nova tua! Hic potes spectare CV photographias a me in Dania Norvegiaque confectas. Certe cognosces multos urbibus et populis locos notos, velut illos hortos *Frogner* et illam ecclesiam ligneam *Lomiensam*. *Etiam videbis certa aenigmata grammatica facilia intellectu*. Aestus in Germania terribilis est; otium me denuo deficit: nonnullae clausurae mihi nunc corrigendae sunt, symbola nova est componenda. Haec raptim, mox plura. **Vale semper VN**

d.24. m. Aug. a.2023 h.19:31

Nicolaus Naevis sal.pl.

Valde gaudeo quod tu tuique salvi ex Norvegiâ revertistis. Gratias plurimas pro photographematis a te solitâ sollertiâ confectis. Plāgas boreales monstras mirificas, casas ligneas graphicas. Sed homines multo plures video Asiaticos quam Norvegios. Ceterum placent mihi naves Vicingorum, sed Vicingos ipsos non video. Maximè placent biblica illa verba Latina piaae imagini inscripta (8408): "HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS IN QUO MIHI COMPLACUIT HUNC AUDITE".

8437: Quid hi tres Asiae sibi velint, non intellego. Duo remiges vestibibus nauticis induti, una muliercula. Inscriptio (magnis litteris): "*FORE TOMORROW*".

Notaculum autocineti: "*NO WIFE*" – mirum! Vexillum Ucrainiae etiam in Norvegiâ non deest: "*Slava Ukraini!*" Multae statuæ hominum variae aetatis nudorum video - estne museum quoddam subdiale? Ubi est? Quomodo appellatur? Quid est thema generale? Encomion nudismi? Vale pancraticè, mi care amice, et scribe quidquid tibi in buccam venerit! **Medullitus Nicolaus.**

d.24. m. Aug. a.2023 h.20:24

Naevis Nicolao sal.pl.

Recte, homines multo plures Asiaticos quam Norvegios vidimus. Asiatici eo tempore toto in orbe terrarum videri possunt. Non diligens tales turbas usus sum instrumento quodam photographico - theodisce *Graufilter* vel *ND-Filter* nominato. Effectus eius imprimis in photographia 8220 bene observari potest. Legas explanationem hanc:

<https://bw-filtershop.de/collections/graufilter> Illa photographia 8437 est solum photographia photographiae. Suspicio eam esse museo huic: <https://www.visitnorway.de/listings/astrup-fearnley-museet/31957/> (photographia frontis: 8432) Ut mihi videtur, illud autocinetum, quod est notaculo "no wife" instructum, est cinaedo alicui vel *woceistae*. Illae sculpturae revera sunt partes cuiusdam expositionis, sunt partes horum hortorum notorum: <https://de.wikipedia.org/wiki/Vigelandsanlegget> Cyclum vitae humanae significare dicuntur. Ille Vigelandius fuit sculptor summi ingenii. Placentne opera eius? **Vale semper VN**



d.24. m.Aug. a.2023 h.21:11

Nicolaus Naevio s.

Placent Vigelandiana! Quae mihi ut verum confitear usque nunc prorsus ignota fuerunt. Gratias quod imaginibus tuis perspectis doctior evasi. Lector quidem nostri - *Ansgarius Osloensis* - est Suetus Osloae vivens; qui valdê amat artem figurativam. Ex eo quaeram, quanti aestimet Vigelandium. Ceterum videtur caelum in Norvegiâ non nimis sudum fuisse. An fallor? Quantae temperaturae fuerunt? Tu Tuique num laborastis sideratione et cute sole adustâ? **Vale semper, NIC.**

d.24. m.Aug. a.2023 h.22:06

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, gratias tibi ago. Temperaturae sane gratae fuerunt - XV usque ad XX Celsius - longe aliter ac temperaturae hodiernae intolerabiles in Germania. Quamobrem numquam laboravi sideratione. Saepe pluit. Photographare imprimis soleo sole lucente... itaque photographematis meis paululum falleris. **Vale semper VN**

d.24. m.Aug. a.2023 h.23:38

Nicolaus Naevio s.

Apud nos hodiernâ nocte ingentia fulmina tonitrua imbres venti. Fulmina incredibiliter lucida et magna. Qualis tempestas est apud vos Augustae in urbe? Habuimus his mensibus iam quater tales procellas cum fulminibus et imbribus vehementissimis. Bis habuimus iam grandines incredibiliter magnas et duras. Sed tales eventûs tantummodo fiunt in circumferentiâ nonnullorum chiliometrorum. In vico quinque chiliometris remoto nihil huiusmodi factum est. Ceterum iam saepius audimus aeroplana humiliter volantes et videmus nubes insolito monstruosas. Denique ex te quaero, num habeas novam theoriam conspirationis. Illae, quas ego habueram, interim omnes sunt ad veritatem adductae. Quid tibi nunc videtur? Vale semper, **superstitiosê te salutat Nicolaus.**

d.25. m.Aug. a.2023 h.07:23

Naevius Nicolao s.

De *chemtrails* serius, nunc in *Bad Salgau* proficisci debeo ... symbolae componendae causa de <https://www.gamecooling.com/gcshop/> **VN**

d.26. m.Aug. a.2023 h.14:59

Naevius Nicolao s.

Care amice, quod attinet ad theorias conspirationis in re illa - quid dicam? Nescio an sint istae *virgae chemicae*. Sed mihi more cuiusdam advocati diaboli placet quaerere haec:

1. Cur virgae chemicae efficiuntur? Quid est finis virgarum chemicarum? Cui bono efficiuntur?
2. Quomodo eae efficiuntur?
 - a) Estne aliqua substantia benzino admixta?
 - b) Suntne receptacula additiva in aeroplanis?
 - c) Quis fundit liquorem chemicum in receptacula (additiva) aeroplanorum? Idem quid de eis liquoribus scit?
 - d) Quis iubet virgas chemicas ex aeroplanis dissipare?
 - e) Quid sciunt aëroplanigae de ea re?
 - f) Si nihil sciunt, estne dissipatio telemoderata?
 - g) Quid virgis chemicis efficitur - qualis reactio chemica eis efficitur? Possunt particulae chemicae augere grandines vel eas maiores reddere? Quomodo?

h) Ni fallor, grandines fiunt in altitudine summa. Dic mihi, quaeso, quomodo aeroplana humiliter volantes magnitudinem et multitudinem grandinum efficere possint. - Gratias tibi ago! **Vale semper, Naevius.**

d.26. m.Aug. a.2023 h.18:47

Nicolaus Naevio suo sal.pl.

Gratias ineffabiles tibi ago, quod tam subtiliter perscrutaris *virgas caelestes*, quas nos suspicamus esse vestigia tempestatis artificialiter mutandae. Ceterum fulgura hesternae fuerunt incredibiliter magna et lucida et diuturna. De singulis quaestionibus tuis cum horrendâ subtilitate acerrimâ propositis deliberabo. Iamne inspexisti EL 283? Quid tibi venatori videtur de *Rafaelâ Rabidâ*, quae vult prohibere ne homines carnem comedant? Quid tibi videtur de *Petro Wohlleben* saltuario? Ceterum iamne legisti *Hubertum Aiwanger* luto inhaerere foetidissimo? Putasne eum se liberare posse ab isto luto? Iamne legisti de misero illo iudice mascario? **Vale semper, Nicolaus**

d.26. m.Aug. a.2023 h.22:10

Nicolaus Naevio s.

https://www.t-online.de/region/muenchen/id_100232226/skandal-um-hubert-aiwanger-bruder-helmut-nimmt-schuld-auf-sich.html

Estne *Helmodus* hircus emissarius, cui frater minor *Hubertus* peccata sua imposuit? Qui dixit se voluisse ulcisci, quod examine non superato sibi erat schola relinquenda. Sed estne hoc credibile? Quatenus ultus est scholam tali facinore? An *Helmodus* (qui fortasse non est persona publica) se sacrificare vult pro cursu honorum fratris sui? Cur illo tempore ista pagina fatalis inventa est in thecâ *Huberti*? Iste textus est quidem improbissimus, sed non est antisemiticus (Iudaei non commemorantur). Ceterum tempore facinoris *Hubertus* erat minorennis (16! annos natus). Si reverâ ipse textum scripsit - nonne peccata iuventutis sunt ignoscenda post 36 annos? Nemini nocuit nisi sibi ipsi. Sed nunc si demonstratur *Hubertus* mentitus esse, *Helmodus* esse hircus emissarius - quid fiet de misero *Huberto*? Quid tibi videtur? **Vale semper, NIC.**

d.27. m.Aug. a.2023 h.11:46

Naevius Nicolao s.

Gratias tibi ago. Hodie et cras tempus me deficit ad responsum prolixum, mihi est symbola de *Landigio* finienda; cras eam deferre debeo. Quod attinet ad causam fratrum *Aiwangeriorum* - confessio *Helmodi* mihi vix credibilis esse videtur. Certe, quid sit ἀλήθεια nescio, sed legens hunc nuntium revera statim putavi *Helmodum* (qui certe non est persona publica; de eo adhuc nihil audi, nihil legi) se sacrificare velle pro cursu honorum politico *Huberti*. Bene scimus fabulam eandem in theatro politico nostro semper agi. Opinio a diurnariis publicata peccata talia semper politicis sinistris ignoscit, sed numquam conservativis. Nonnulla exempla: Quis hodie indignatur de symbolis a *Steinmeierio* scriptis et in periodico "*Demokratie und Recht*" editionis sinistrae istius *Pahl Rugenstein* publicatis? https://de.wikipedia.org/wiki/Pahl-Rugenstein_Verlag - Quis hodie indignatur de *Iosephulo Piscatore* qui lapides in bicolitas iacere solebat? Quis hodie indignatur de *ideologia Maoistica* pristina istius senis eo tempore

Badeniam-Virtembergiam gubernante? Illi casus clare demonstrant in re publica nostra - quam dicunt esse *optimam Germaniam aetatum omnium* - valere ea quae dicam *moralitatem duplicem*. Odiose! **Vale semper, Naevius**

d.27. m.Aug. a.2023 h.01:45

Nicolaus Naevio s.

<https://www.stern.de/politik/deutschland/beatrix-von-storch-mit-faekalien-beschmiert---das-war-wirklich-ekelhaft--33770084.html>

Si *argumenta* desunt, adhibentur *excrementa*. Concacator mentalis: Praeses *Steinmeier*, qui chaotas instigat contra Alternativos. **Vale semper, NIC.**

d.27. m.Aug. a.2023 h.09:45

NICOLAUS NAEVIO SUO OPTIMO SAL.PL.

<https://www.mmnews.de/politik/203609-vivek-ramaswamy-2> Vivek Ramaswamy: Trump was 'excellent,' but America 'needs an outsider' as president

Haud insipienter videtur loqui hic iuvenis Americanus stirpis Indicae. An est nihil nisi candela nebulifica, quâ numerus electorum *Trumpii* deminuat? Quid tibi videtur? Ceterum *Trumpiani* calumnias adversariorum ingeniosê invertunt in contrarium: Nunc photographema *Trumpii* criminale eiusque subscriptionem "WANTED" supplet verbo "...FOR PRESIDENT". Sic calumniam et diffamationem convertunt in praeconationem rei propriae. Quid tibi videtur? Licet pluvia cadat, sit tibi dies dominica iucunda atque recreabilis. Medullitus **NICOLAUS**

d.27. m.Aug. a.2023 h.12:37

Nicolaus Naevio s.

Gratias plurimas pro responso prompto. Tria exempla praebes casuum, in quibus sinistrae ignoscuntur peccata iuventutis - quartum addo: horrenda ista quae *Sara-Lee Heinrich* frigguttiverat puella, eidem nulli damno fuerunt. <https://www.dw.com/de/junge-politiker-im-netz-wie-gef%C3%A4hrlich-sind-alte-tweets/a-59493793> Ceterum *Hubertus* tempore, quo scriptum est istud pamphletum, 16 (non 17!) annos natus erat. Recordare, quantae insaniae interdum dicta et scripta sint ab adolescentibus huius aetatis, e quibus postea tamen facti sunt viri sani atque probi. Holocaustum et ergastula concentrationis sunt res in Germaniâ omnium infamissima, omnis iocus ad hanc rem spectans habetur pro re omnium nefandissimâ (nulla locutio alia, nulla verba quamvis perversissima et crudelissima possunt tam nefanda esse in Germaniâ quam iocus ad holocaustum spectans). Sed iuvenes pubescentes petunt indicenda, volunt gloriari dicentes rem indicibilem. Hoc nequaquam est malum et sordidum, sed est naturale, quia natura humana est prona ad malum. Non naturale et inhumanum est aliquem hominem post 36 annos aestimare secundum dicta et facta eius puerilia. Valeant verba illa Terentiana: *Homo sum: nil humani a me alienum puto*. Haec breviter; mox, si volueris, plura. **Nicolaus.**

d.29. m.Aug. a.2023 h.21:55

Nicolaus Naevio s.

QUID DE GRANDINIBUS AUGUSTANIS??? ESTNE HABITACULUM TUUM AFFLICTUM??? NARRA CARE AMICE! HABESNE NOVUM "NARRATIVUM"??? **Vale semper, NIC.**

d.29. m.Aug. a.2023 h.21:55

Naevius Nicolao s.

Cras mihi, ut spero, tempus ad responsum erit; hodie mihi negotia multa agenda sunt.

Vale semper VN

d.30. m.Aug. a.2023 h.15:41

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, habeo, sed non de grandinibus. Habitaculum non afflictum est, pluit in urbe nostra, sed grandines non habuimus. Iamne cogitavisti de quaestionibus, quas scripsi de virgis chemicis, quas dixisti esse propositas "*cum horrenda subtilitate acerrima*"? Sed mihi placuit narrare de re hac: Unus ex amicis meis nuper narravit matrem suam aegrotare et curari debere; rogavi quali morbo laboraret - et mihi scripsit eam contraxisse illud virus notum coronarium; etiam scripsit eam contraxisse id - nota bene - *quamquam* accepit vaccinationem quartam (!). - Scilicet me respondisse, me scripsisse "*convalescat mater tua misera mox omnino*", sed nihil de cogitationibus meis dixi. In dubium enim voco an sit illud verbum "*quamquam*" rectum, aptum, verum; mihi probabilius esse videtur illam mulierem infelicem contraxisse virus, *quia* accepit tantas vaccinationes. Certe mecum de ea re consentis. Haec disquisitio iterum indicat suspicionem nostram rectam esse. Est solum una ex multis, sed clare indicat istam inoculationem quae "vaccinatio" dicitur, rem infelicem, in casibus nonnullis etiam horribilem esse: <https://tkp.at/2023/08/15/eurostat-weiterhin-hohe-uebersterblichkeit-in-laendern-mit-hohen-impfquoten/> - Ceterum, ille amicus ipse etiam vaccinatus est, accepit istum liquorem confectum a *Johnson & Johnson*. Mihi annos ante duos narravit se post inoculationem septimanam omnem aegrotavisse, flaccidum fuisse, ei quasi corpus omne doluisse, sed adhuc opinari videtur istam vaccinationem rem bonam, rem necessariam esse. Quid dicam? Quid dicamus?

Vale semper, Naevius

d.30. m.Aug. a.2023 h.18.35

Nicolaus Naevio s.

Valde vehementerque miror te nihil narrare de grandinibus Augustanis, de quibus in interreti multa et horrida relata sunt. Etiam cinema vidimus, in quo apparent detrimenta tectorum et hortorum Augustae gravissima, quae effecta esse dicuntur granis grandinis, quae fuerunt magnitudine pilae tennis mensalis. Ceterum nova causa affertur tempestatis abnormis: <https://reitschuster.de/post/ausbruch-von-hunga-tonga-und-das-schweigen-der-klimawissenschaftler/> Haec hactenus brevissimê; mox fusius referam **Vale semper, NIC.**

d.30. m.Aug. a.2023 h.20:51

Nicolaus Naevio s.

GERALDUS SÖDOLFO ALAPAM DUXIT! SOPHOS!!!

<https://www.pi-news.net/2023/08/gerichtssieg-fuer-grosz-soeder-darf-soedolf-genannt-werden/>

Vale semper, NIC.

d.31. m.Aug. a.2023 h.08:05

Naevius Nicolao s.

Optime. Adhuc habemus libertatem sententiae dicendae. Sed etiam memoria tenere debemus, quod eadem ratione licet isti *Christiano Ehring* Aliciam dicere "*excetram Nacistam*". <https://www.tagesspiegel.de/gesellschaft/medien/nazi-schlampe-ist-okay-weil-satire-3831946.html> **Vale, N.**

d.31. m.Aug. a.2023 h.14:07

Nicolaus Naevio s.

Non iam est libertas, sed saltim *libertatula* sententiae dicendae... **Vale semper, NIC.**

d.31. m.Aug. a.2023 h.14:14

Naevius Nicolao s.

Certe, de libertate in sensu iuridico locutus sum. In casu hoc etiam procuratores publici clare viderunt *Margum Frangum* obbordunistam maximum tolerare debere verba acerrima illius Austriaci (scaenici)... **Medullitus te salutat VN**

d.31. m.Aug. a.2023 h.14:19

Naevio s.

Certe legisti *Margum Frangum* nudius tertius ante orationem imitatum esse vocem Ducis Germaniae infamissimi... Quid hoc sibi voluit? Voluitne *Hubertum* subsannare? An est interim mente captus? **Vale, NIC.**

d.31. m.Aug. a.2023 h.14:29

Naevius Nicolao s.

Mente non captus est, sed obbordunista: *Hubertum* nunc eo modo certe subsannare studet, ut opinor. Sed iste iocus odiosus ei nihil proderit. Mea opinione multi electores perspiciunt *Margum*. **Vale, N.**

d.01. m.Sept. a.2023 h15:30

Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=MMgOHTSKD1Q> AIWANGER: Tanja Schweiger zur Flugblatt-Affäre! Jetzt spricht Lebensgefährtin vom Söder-Verehrer PHU DIABOLE ! EN ISTOS HYPOCRITAS!! **Vale, Nic.**

d.01. m.Sept. a.2023 h.15:43

Naevius Nicolao s.

Iste diurnarius culus superbus intolerabilisque est! Revera quaerit: "*Was ist da schiefgelaufen in der Jugend?*" Ceterum, quando ista prasina *Sahra Lee Heinrich* excusabit peccata sua? Quando a diurnariis tali modo interrogabitur? Illa *Tanja*, amica *Huberti*, mihi femina iucunda esse videtur. <https://www.nzz.ch/meinung/der-andere-blick/der-fall-heinrich-lehrstueck-gruener-doppelmoral-ld.1649871> **Vale semper, NIC.**

d.01. m.Sept. a.2023 h16:31

Naevio s.

Rectê dicis. Est iucunda puella. Et bonis nervis instructa est. Nam tranquillê patitur istum baburrum arrogantem atque impudentem. **Vale, Nic.**

d.01. m.Sept. a.2023 h. 22:50

Naevius Nicolao s.

<https://www.youtube.com/watch?v=9JFDSAxAAYJU> "Unser Land Zerfällt!" - Alice Weidel's UNZENSIERTE Enthüllung (Neu)

Excetra revera superata est. Interrogabitne ista excetra tali modo etiam *Ricardam* crassam Alternativis gubernantibus? **Vale, N.**

d.02. m.Sept. a.2023 h16:31

Naevio s.

Spero istam excetram Alternativis gubernantibus non iam fore diurnariam. Sed fortasse isti continget, ut recto tempore vertat collum suum. **Vale, Nic.**

d.3. m.Sept. a.2023 h.00:18

Nicolaus Naevio s.

<https://www.pi-news.net/2023/09/bbc-fragt-boehringer-is-the-afd-a-threat-to-german-stability/>

Iste stultus saccus nihil blaterat nisi repetit diffamationes mediorum fluminis praecipui! Quas stultitias iterum iterumque enuntiat? 1. Immigratores prodesse Germaniae, quia habeat nimis paucos specialistas. 2. Alternativi promittunt se posse deminuere numerum immigratorum, sed hoc fieri non posse. **Vale semper, NIC.**

d.02. m.Sept. a.2023 h.15.05

Naevius Nicolao s.

<https://www.youtube.com/watch?v=iIPoJ2D7ors> Hubert Aiwanger - Hat sich der Lehrer strafbar gemacht?

Nunc omnes loquuntur de ea causa, advocati, politici, diurnarii - sed imprimis ratio politica illius rei infelicis iucunda est. Iste *Margus Frangus* liberari vult ab aemulo politico (tamen *Hubertus* ei adhuc necessarius est); prasini - velut ista *Katha* stulta terrioloqua - nunc *Hubertum* quasi partem pro omnibus conservativis diffamare possunt; omnes *woceistae* statuere possunt antisemitismum adhuc valere in Germania, eum esse rem gravissimam. Haec omnia propter peccatum stultum iuvenis, propter rem quae facta est XXXV annos ante. Incredibile! **Vale, N.**

d.03. m.Sept. a.2023 h.00.54

Nicolaus Naevio s.

Rectê dicis - assentior! Imprimis autem gubernatio vult animos civium avertere a rebus multo gravioribus: e.g. a politicâ energiae et oeconomiae calamitosissimâ et a scandalis *Olai Obliviosi* (cumexiano necnon *nordstreamiano* - verisimile est *Olaum* culpam contraxisse perduellionis!!!). - Si tanta scelera consideras - quantum valet sordidus ille iocus discipuli (?) ante 36 annos sale nigerrimo excogitatus? Praeterea mihi verisimile esse videtur illud folium volaticum non esse scriptum a discipulo: Nam quamquam dactylographatum est, nullum mendum inest neque ullus locus correctus - neque puto *Hubertum* neque eius fratrem illo tempore tam exactê scripsisse - etiam quod attinet ad dictionem. Ceterum istud folium nequaquam est argumenti antisemitici: Semitae non commemorantur, in ergastulis concentrationis etiam multi alii homines fuerunt. Reverâ agitur de illo scholae certamine historico irridendo, cuius annuntiatio videtur in ridiculum converti atroci cynismo. Ut verum confitear me similia facetê dicta salis nigerrimi clam narrata, cum ipse essem discipulus, compluries audivisse. Scilicet talibus iocis insunt argumenta atrocissima

et inhumanissima; tamen puto plerosque discipulos talia narrantes nequaquam esse phyletistas aut crudeles aut scelestos, sed velle pubescentium more gloriari de duritiâ atque virilitate animi sui. Ante nonnullos annos collega quaedam hysterica a discipulâ certior facta de talibus facetiis insulsis, quae in dialogo (*chatroom*) a nonnullis condiscipulis narratae essent, strepitum et tumultum fecit maximum (brevi antea excursio facta erat in ergastulum *Dachoviensem*): conferentiae fiebant diurnae et effectûs et utilitatis prorsus expertes et discipuli (quorum plerique fuerunt *recessûs migratorii*) graviter admoniti sunt et quibusdam operibus additiis puniti. - O vanitas vanitatum! Quisquiliis avertimur a scandalis veris! Tamen tibi exopto diem dominicam tranquillum et recreabilem... **Vale semper, NIC.**

d.03. m.Sept. a.2023 h.11.52

Naevius Nicolae suo s.

Verba optima aptissimaque de ea re fecerunt ille Acerarius et lector eius. Affero ea: "PS: Die „Vergangenheitsbewältigung“ war die Säkularreligion der BRD, doch auch in der DDR verkörperte das Hakenkreuz den Gipfel der Provokation. Es ist völlig normal, dass Heiligkeit, vor allem angemäße, Blasphemie erzeugt, gerade bei jungen Menschen." Hic ea invenies: <https://www.klonovsky.de/2023/09/1-september-2023/> Acerarius solito acumine rationem psychologiam illius rei perspexit - et ea mea opinione sane simplex est. Iuventuti Germanicae iam multos annos semper et sine ulla exceptione narratur maiores eius commississe scelus ingens, scelus maximum omnium aetatum etc. Quamobrem pro certo habeo tales iocos, tales imitationes infelices istius ducis vemortui esse reactiones, quas dicam *levationem psychicam*. Certe tales ioci sunt insulsi, sed sub eo aspectu psychologico considerati facile comprehendi possunt: Iuventuti semper placebat, semper placet, semper placebit laccessere patres. **Medullitus VN**

d.03. m.Sept. a.2023 h.12.32

Nicolaus Naevio s.

In quodam foro interretiali, quo disputatur de casu *Huberti*, narrat aliqui lector de re, quam ipse tempore scholari 40 ferê annis ante expertus est: *Quidam magister, qui docebat mathematicam atque Latinitatem, solebat oecum classis intrare et tabulam aperire et per 5 vel 10 minutas loqui de Imperio Tertio. Aliquo die oecum classis intravit, tabulam aperuit ibique invênit magnam crucem hamatam cretâ pictam. Cum magister quaereret, quis hoc fecisset, statim quaedam condiscipula respondit verbo „ego!“ et rogata, cur istud fecisset (post 40 annos non accuratê recordor, quibus verbis responderit), dixit se taedere, quod loco institutionis propriae sibi patienda esset semper eadem institutio historiae. Ceterum eiusdem condiscipula pater fuit immigrator, et eadem ipsa mox postquam scholam superavit nupsit cuidam petitori asyli alius terrae continentis, quocum adhuc convivit.*

Risum teneas, amice? Fortasse maximum problema est superabundantia magistrorum sinistro-prasinorum! Deest aequilibratio scholarum politica. Bene narrat hic forista, unde oriantur tales ioci discipulorum salis nigerrimi: sunt supersaturati inculcatione antinacisticâ, oderunt masochismum pseudohistoricum. **Vale, NIC.**

d.03. m.Sept. a.2023 h.12:36

Naevius Nicolae suo s.,

Recte, oderunt masochismum pseudohistoricum Germanicum. Hic videmus nucleum problematis. **Vale, N.**

d.04. m.Sept. a.2023 h.07:17

Naevius Nicolao s.

https://www.youtube.com/watch?v=3T8jHr_XSEA "Gejagt Von Den Medien!" - Alice Weidel's HILFERUF!

Illud cinema sane vetus est - Alicia locuta est de electione *Conventûs Foederalis*; etiam specta faciem eius - habet sane iuvenem speciem. Non intellego cur paene numquam dies ascribatur illis cinematibus. **Vale, N.**

d.04. m.Sept. a.2023 h.10:37

Nicolaus Naevio s.

("extra 3" - <https://www.tagesspiegel.de/gesellschaft/medien/nazi-schlampe-ist-okay-weil-satire-3831946.html>)

Hic defectus chronologiae etiam mihi valdê displicet. Volunt spectatores allicere cinematibus vetulis... Sed animus commovetur *Aliciae* sinceritate. Quae mihi in dies magis placet. Haec puella est perquam prudens et docta et eloquens. Diffamatio illa *Ehringiana* est incredibiliter mendax atque improba. Est exemplum *odii et instigationis* aptissimum. **Vale semper, NIC.**

d.04. m.Sept. a.2023 h.16:37

<https://www.economy4mankind.org/wichtigste-blogs-politik-wirtschaft-deutsch/>

MEDIA ALTERNATIVA - longus index histologiorum alternativorum quae mihi magnam partim ignota sunt

Naevius Nicolao s.

Index ille mihi sane iucundus esse videtur. Inspiciam eum serius. Gratias tibi ago!

Vale, N.

d.05. m.Sept. a.2023 h.11:14

Nicolaus Naevio s.

https://www.youtube.com/watch?v=_tlprkTt6I

Formido homicidialis pseudovaccinationis ab *Andreâ Popp* et *Evâ Hermann* summâ cum perspicuitate explicatur! Incredibile - sed verum - est istud scelus ingens nequaquam esse finitum, sed hōc autumno veneficos opus suum letale continuaturos esse.... Nec desunt baburri, qui adhuc credant in mendacia gubernationis et industriae pharmaceuticae... **Vale semper, NIC.**

d.05. m.Sept. a.2023 h.19:31

Naevius Nicolao s.

https://www.youtube.com/watch?v=1dndTTaDd_s Sophie Scholl wurde hingerichtet und Aiwanger bekommt keine Strafe?

INTOLERABILE. ISTI SOCIALISTAE et WOCISTAE SOLUM DIFFAMARE et stultissime BLATERARE POSSUNT: ARGUMENTA NIHIL VALERE VIDENTUR!

Vale, N.

d.05. m.Sept. a.2023 h.21:57

Nicolaus Naevio s.

<https://reitschuster.de/post/kz-gedenkstaette-dachau-verweigert-aiwanger-besuch/>

Unus facetias narrat de ergastulis concentrationis - alter iisdem facit propagandam - uter horum est improbior? **Vale, NIC.**

d.05. m.Sept. a.2023 h.21:57

Naevius Nicolao s.

<https://reitschuster.de/post/unis-sind-pfeiler-des-wahrheitsregimes/>

Puto eum - cum grano salis - recte iudicare. Exemplum novissimum est dictum istius *Naikae Fourotanae*, quam dicam more illius *Bolzii "Gefälligkeitswissenschaftlerin"*. Litterarum non est defendere statum politicum praevalentem, sed investigare res naturales, investigare res humanas – *sine ira et studio!* **Vale, N.**

<https://www.berliner-zeitung.de/politik-gesellschaft/migrationsforscherin-provoziert-deutschland-gehört-per-se-niemandem-li.383884>

d.08. m.Sept. a.2023 h.12:22

Nicolaus Naevio s.

<https://www.tichyseinblick.de/daili-es-sentials/jewrovision-claudia-roth-ausgebuht/> <https://www.youtube.com/watch?v=ImZSD8QivkU&t=57s>

<https://www.tichyseinblick.de/daili-es-sentials/claudia-roth-berlinale-offener-brief-2/>

Deo gratias ago, quod in Germaniâ etiam Iudaei sunt qui videant Prasinus sibi nocere! Nam *Alliaria* et *Sutor* (procul dubio a *Sorosianis* corrupti) iterum iterumque contendunt periculum maximum sibi imminere ab extremistis dextris, i.e. *Alternativis*. **Vale semper, NIC.**

d.08. m.Sept. a.2023 h.12:29

Naevius Nicolao s.

Recte, imprimis indignantur de istâ prasinâ terrioloquâ, stultissimâ, benevolentiam eorum blanditiis capiendi studiosissimâ. **Vale, N.**

d.08. m.Sept. a.2023 h.15:33

Nicolaus Naevio s.

<https://www.sueddeutsche.de/gesundheit/covid-herbst-impfungen-varianten-1.6167503?reduced=true>

<https://www.sueddeutsche.de/politik/corona-impfung-biontech-impfstoff-1.6200193>

Adhuc apud nos sunt nimis multae oves somniculosae. Speraveram nos istam calamitatem superasse. Sed nuperrimê denuo vidi in supermercato mulierem mascatam... Aliquantisper mihi visus sum simiam videre rostro porcino instructam. Miseruit me illius mulierculae, simul tamen etiam indignatus sum et aliquatenus desperatus. Incredibile dictu... Nunc animadvertimus nimis paucos cognovisse totam inoculationem anticovidianam esse ingentem fraudem, homines nescientes adhiberi tamquam cuniculos experimentales. *Mundus vult decipi - ergo decipiatur?* **NIC.**

d.08. m.Sept. a.2023 h.18:17

Naevius Nicolao s.

Recte, modo collocutus sum cum pistrinae venditrice functionaria. Dixit se tres inoculationes accepisse; narravit post inoculationes se semper aegrotavisse, se sane fatigatam fuisse, se adhuc saepe flaccidam esse, sibi ossa dolere. "*Numquam iterum istam vaccinationem accipiam, etsi dimittor*", magna voce dixit; etiam clare perspexit *Albertum Graeculum* eiusque sodales tempore "*pandemiae*" lucrum maximum fecisse, divites divitiores factos esse, pauperes pauperiores. **Vale, N.**

d.08. m.Sept. a.2023 h.21.20

Nicolaus Naevio s.

Ea quidem functionaria saltem nunc - doloribus docta - cognovit inoculationem esse fraudem. Quot sunt, qui - quamvis compluries inoculati et morbum dolorosum passi aut patientes - tamen adhuc perseverent in mendacio vaccinandi credendo? *Errare humanum est, sed inhumanum in errore perseverare...* **Vale, NIC.**

d.09. m.Sept. a.2023 h.02:03

<https://www.ardmediathek.de/video/kontraste/eine-zaesur-fuer-die-politische-kultur/das-Erste/Y3JpZDovL3JiY184YWQ1MmMwYi1hNWVmLTQ4ZDktOTJhY0wOTUIZTAwZmRjYTFfcHVibGljYXRpb24>

Nicolaus Naevio s.

Incredibile! Delirant, ineptiunt, insaniunt! Istaes Harpyae obsessae sunt diffamandi et calumniandi cupiditate! Non tantum ciborum devorare possum, quantum vomiturio... Maximê taedet me istius satirici servi systematis necnon condiscipulorum quondam *Huberti* - vix comprehendo, post 36 (!) annos quantâ lubidine correpti sint *Huberti* polluendi, maculandi, contaminandi... o quanta energia destructiva erumpitur tanto spatio temporis transacto! Qui omnes Prasini atque socialistae zelotae videntur esse - pus ac venenum exspuunt de prosâ latrinariâ catulastris indignantes, sed prorsus negligunt perduellionem aliaque scelera ipsius cancellarii iam pridem adulti capitalia, qui impudentissimê contendit se recordari non posse rem gravissimam ante quinque ferê annos factam!!! **Vale semper, NIC.**

d.09. m.Sept. a.2023 h.09.11

Naevius Nicolao s.

Assentior, isti condiscipuli odiosissime loquuntur de *Huberto*. Diffamant eum, pingunt imaginem nacistae. Intolerabile! Certe, nihil de flagitiis veris (Graeculi, cancellarii; ab ista *Faeser* in causa Schönbohm commissis). **Vale, N.**

d.10. m.Sept. a.2023 h.09:14

Naevius Nicolao s.

Valdê diligo acumen *Sahrae*, sed dubito an sit inceptum eius prosperum. Vires politicae insaniae prasinae resistentes factione nova condenda infirmari possunt.

<https://sezession.de/67878/vier-strategien-mit-denen-die-afd-neutralisiert-werden-soll-1-und-2>

Vale semper VN

d.10. m.Sept. a.2023 h.12.02

Nicolaus Naevio s.

Assentior! *Sahra*, quia est *homo pro se*, habet vix socios aptos: *Udalrica Guerot* certê etiam est intelligens et erudita, sed nimia sui ipsius admiratrix esse videtur. Desunt homines sinistrae partis prudentes et benevoli. **Sahra** sôla non sufficit. Accipiet nonnullas partes centesimas, quae deerunt Alternativis. - Idem licet dicere de "BASI", quae orta est ex resistentiâ anti-coronariâ (in initio dux fuit ille fallax patronus *sui ipsius Completor*; alii participes fuerunt *Schiffmann*, *Bhakdi*, *Wodarg* - nescio, num adhuc membra *Basis* sint. Video in Bavariâ toechocollemata eius factionis, plures quam Alternativorum. Sed etiam haec factio non erit victrix, et nihil efficiet nisi deminutionem Alternativorum. **Vale semper, NIC.**

d.10. m.Sept. a.2023 h.12.27

Naevius Nicolao s.

Recte, socii periti ei non sunt, illa *Guerot* certe prudens est, sed - quod attinet ad politicam realem - mihi nimis simplex esse videtur. Adhuc etiam probat EU. Illa factio BASIS momentum politicum non habet. Quamobrem factio nova - ut audeo praedicere - civibus furorem prasinum recusantibus paene nihil proderit. **Vale, N.**

d.11. m.Sept. a.2023 09.55

Nicolaus Naevio s.

Haud ineptê adnotat Redactor Tranquilli:

"Auffallen dürfte jedem aufmerksamen Beobachter: Wagenknecht präsentiert keine Alternative zur AfD, sondern eine Variante, die darauf hofft, in den Einheitsmeinungsmedien nicht gleich verfolgt zu werden wie die Alternative."

Vale, NIC.

d.11. m.Sept. a.2023 h.10.02

Naevius Nicolao s.

Assentior. Etiam scimus *Sahram* probare socialismum, qui mihi ineptissimus esse videtur. Iam habemus socialismum prasinum. **Vale, N.**

d.11. m.Sept. a.2023 h.13:07

Naevius Nicolao s.

<https://www.youtube.com/watch?v=OkFI2hm0mfk> Nordhausen: AfD-Mann gewinnt mit 42,1%!

Clamantne nunc prasini, woceistae, burgenses moralistae? Iamne dicunt illum virum triumphantem *nacistam*? **Vale, N.**

d.11. m.Sept. a.2023 h.13.12

Nicolaus Naevio suo s.

Profecto isti hypocritae iam vibrant clavam nacisticam! At in dies plures cives videtur taedere huius instrumenti mendacissimi. Haec raptim, mox plura. **NIC.**

d.11. m.Sept. a.2023 h.22.10

Nicolaus Naevio s.

<https://www.youtube.com/watch?v=YDITxIPZd8w>

Num *Sahra* Alternativos suppressura est? An tandem fiet frons transversa? **Vale, NIC.**

d.12. m.Sept. a.2023 h.07.29

Naevius Nicolao s.

Ut spero et exspecto, multi homines perspiciunt *Sahrae* adhuc esse solum paucos socios aptos peritosque; etiam intellegent socialismum *Wagenknechtianum* rem non optimam esse. Analyses sagaces certe necessariae sunt, sed non sufficiunt. **Vale, N.**

d.12. m.Sept. a.2023 h.10.17

Naevio s.

Sahra fiat diurnaria et condat acta diurna alternativa. Ut tandem habeamus diurnariam excellentem! **NIC.**

d.12. m.Sept. a.2023 h.23:15

Naevius Nicolao s.

Non Sahara ipsa est catastropha, sed opinio oeconomica eius socialistica. Hodie (et iam ante) dixi socialismum (*Wagenknechtianum*) non esse rem bonam. **Vale, N.**

d.12. m.Sept. a.2023 h.10:34

Nicolaus Naevio s.

<https://www.tagesschau.de/inland/gesellschaft/longcovid-gesundheitsministerium-100.html>

Suspisor *covidianum longum* esse pseudonymum *detrimenti vaccinatorii*. Nonne? Quid sentis? Et nunc aspice catervam pseudoscientistarum qui oboedientiâ vernili, proprio honore iam pridem perduto sequantur istum ministrum sanitatis insanissimum indignissimum mendacissimum!!! **Vale, Nic.**

d.12. m.Sept. a.2023 h.23:19

Naevius Nicolao s.

Haec tibi scripsi iam diu ante:

d.14. m. Feb. a. 2023 h.23:37

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, iam saepe dicebam Sahram feminam sapientem esse, feminam summae eloquentiae, summi acuminis imprimis spectantis ad *analysin* politicam. Sed non fallamur in ea! **Sahra solitaria est, solitaria semper fuit. Et habet sententiam certam de systemate oeconomiae socialistico instituendo, cuius sanitatem in dubium voco.** - Etiam nescio an factio nova condenda condicionem infelicem rei publicae nostrae mutare possit. Anno superiore tibi iam scripsi haec: "*Dubito an factioni transversae (Querfrontpartei) tali futurum bonum sit. Timeo ne in rebus oeconomicis maxime dissentiant (scil. Alicia Alternativorum et Sahra). Ergo tu mihi recte descripsisse colloquium [Elsaesseri et aliorum] illud videris: Factio transversa eo tempore est solum lusus phantasiae.*" - Nunc videre possumus sententiam tuam rectam fuisse, veram factam esse. **Vale semper VN**

d.13. m.Sept. a.2023 h.23:19

Nicolaus Naevio s.

YouTuber Darius lügt über mich! Hier mein Statement. https://www.youtube.com/watch?v=_jSBBCBRuxk

333 - *Issos Keilerei !!! Darius Rex Magnus Persarum contra Alexandrum Magnum !!!*
Vale, NIC.

d.13. m.Sept. a.2023 h.19:15

Naevius Nicolao s.

Certe pugnant, sed pugna historica casus ille non est. Causae illius proelii interretialis mihi solum certamen invidiaeque esse videntur. Ceterum, ille ASPER confessus est se lucrum maximum facere suis cinematibus ... eomodo confirmavit praesumptionem meam. **Vale, N.**

d.13. m.Sept. a.2023 h.19.19

Nicolaus Naevio s.

Reverê *Alexander Asper* confessus est se hôt tempore victum suum comparare cinematiis interretialibus. Quodam in cinematio explicat methodos suas lucrum quam plurimum accipiendi. **Vale, NIC.**

d.13. m.Sept. a.2023 h.19.27

Naevius Nicolao s.

Explices, quaeso, mihi denuo neologisma "cinema" et "cinematium"

- *das Kino (Gebäude) ?*
- *der (Kino-)Film cinema, cinematis neutrum*
- *das Filmchen auf youtube cinematium, cinematii neutrum ?*

Gratias magnas tibi ago! **VN**

d.13. m.Sept. a.2023 h.19:27

Nicolaus Naevio s.

Cinematium, -i n. (mit langem "-e" - Suffix -e:on/-um "der Ort, wo etwas stattfindet, z.B. Odeon "der Ort, wo gesungen wird"

- *der (Kino-)Film cinema, cinematis neutrum*
- *das Filmchen auf youtube cinematium, cinematii neutrum?*

Vale semper, NIC.

d.13. m.Sept. a.2023 h.21.00

Naevius Nicolao s.

Gratias tibi ago! Significatio verbi, q.e. *cinematium*, mihi solum paulum a significatione verbi, q.e. *cinema*, discrepare videtur. Rectene sentio? Ceterum, mendum feci, ni fallor: non *neologismum*, sed *neologismus* rectum sit. **Vale semper VN**

d.14. m.Sept. a.2023 h.00:36

Nicolaus Naevio s.

Cinematium est deminutivum *cinematis*. **Vale, NIC.**

d.14. m.Sept. a.2023 h.08:21

Naevius Nicolao s.

Aufgedeckt: Inhalt und Ergebnis aller Strafanzeigen! <https://www.youtube.com/watch?v=GzuwhVd2E-s>

Denuo dicta illius ASPERI mihi displicent.

1. Conclusio eius non recta est: Numerus non valet, numerus nihil probat. Etsi mille cives de sceleribus indicant politicos (gubernantes), hoc non probat eos revera scelera commississe.

2. Ista "*Baerboeckiana*" non punienda sunt.

a) Numquam **de iure** bellum indixit; ni fallor, solum dixit "nos bellum gerere contra Russiam". Hoc certe stultum fuit, sed scelus in sensu iuris non est.

b) Dicta eius de electoribus mea opinione inuria (*Beleidigung, 185 StGB*) non est.

Legas haec:

<https://www.anwalt-berlin-strafrecht.de/kollektivbeleidigung-cops-are-bastards-lediglich-bei-bezug-zu-ueberschaubarer-personengruppe-straftbar/>

3. ASPER usus est verbis "*strafbar*" et "*strafwürdig*". Multum interest inter ea! Ea quae sint "*strafwürdig*" solum legislator de iure statuere potest. Certe Asper indignatur de flagitiis gubernationis; sed si non punienda sunt, ea non sunt "*strafbar*". Finis, finis actionis. Flagitium non semper est scelus sensu iuridico. Denuo quaestionem propono: Studetne Asper imprimis illas res explanare vel imprimis lucrum facere? **Vale semper VN**

d.14. m.Sept. a.2023 h.10.29

Nicolaus Naevio s.

Procul dubio *Alexander Asper* non est iuris peritus ideoque terminis technicis non rectê utitur. Scilicet numero criminum non indicari numerum scelerum. Tamen ex eodem apparet istam gubernationem a multo pluribus reprobari quam priores (nonne?). Ceterum nullo modo reprobis, quod *Alexander* - si quid novi et utilis nobis praebet - lucrum accipit. Harpagones et diffamatores publico-iuridici nobis rapiunt expensas impudenter exauctas, sed nihil praebent nisi fumum et nebulam. **Vale semper, NIC.**

P.S. Quod attinet ad verba novata, quae noscere voluisti, suppleo neologismum, q.e. *scopocinematium, -i n. i.q. *Videoclip*. **Vale, NIC.**

d.14. m.Sept. a.2023 h.10.59

Naevius Nicolao suo s.

gratias tibi ago - verbum *scopocinematium placet. Quod attinet ad illum ASPERum, non vitupero eum propter pugnam politicam quam pugnat, sed propter dubias informationes. Accurate scit se iurisconsultum non esse, solum amatorem esse - etiam in rationibus aliis - , tamen dicta eius quasi semper summae peritiae et auctoritatis esse videntur. Asperi est omnes res quas tractat subtilius investigare, *priusquam* scopocinematium facit emittitque. Conclusiones eius iam saepe nimis simplices et partim falsae erant; apparet eum velle dare argumenta eis, qui iam diu indignantur de statu rei publicae et qui iterum iterumque audire velle de stercore politico a gubernatione effecto. Bene intellego, sed timeo ne mediis alternativis eo modo non prosit, quia facile fit, ut ea, quae - scopocinematium talibus in *youtube* emissis – refert, dicantur esse *insincera*. **Medullitus te salutat Naevius**

d.14. m.Sept. a.2023 h.12.00

Naevio s.

Tibi assentior Asperum saepius angustiis temporis coactum nimis leviter agere. Plerique diurnarii - non solum interretiales - sic laborant. Primo volunt - ut ait ille *Bertholdus* ille poeta communista - *devorare*, postea colere *bonos mores*. **Vale semper, NIC.**

d.14. m.Sept. a.2023 h.12.24

Naevius Nicolao s.

Etiam haec bene intellego, sed Asperum istâ re utentem quam dicam *machinam indignationis*, non adiuvare volo. De rebus iuridicis ab eo tractatis bene iudicare scio:


conclusiones et informationes eius saepe rectae non sunt. Ergo etiam dubito de rationibus aliis de quibus scopocinematia conficere solet, velut oeconomia et medicina. Suntne informationes conclusionesque eius rectae, bonae, sincere? Nescio. Methodus eius sane simplex esse videtur; similis est illis diurnariis, qui attribui solent *Boulevard* ([https://de.wikipedia.org/wiki/Boulevard_\(Medien\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Boulevard_(Medien))). Fabula parva, facilis intellectu adhibetur ad indignationem maximam efficiendam. Ut verum confitear: Asper rem suam agit lucrosê. Tamen mihi saepe displicet.

Vale semper VN

d.14. m.Sept. a.2023 h.14.30

Nicolaus Naevio s.

Equidem Asperi nuntios nuntiis radiophoniae Bavaricae, quibus nos cottidie vexamur, longê praefero!!! **NIC.**



XX
LEO LATINUS PRO OMNIBUS EPISTULIS LATINIS GRATIAS AGIT INEFFABILES !
XX



EPISTULA CHRISTIANI LAES: DE CERTAMINE QUIRINALI



PROF. DR. CHRISTIANUS LAES
ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS

Christianus Laes praeses omnibus sodalibus ALF salutem plurimam.

Conventiculo ALF feliciter peracto, licet mihi vobis annuntiare rem alicuius momenti, de qua inter consiliarios sumus collocuti.

Nemo enim nostrum ignorat certamina Latina, quae nunc exstant, ad carmina vel fabulas narrationesve fictas plerumque spectare eodemque tempore negligere symbolas et commentationes doctas, quas olim studiosi saepe Latino sermone pangebant. Omnibus patet quaquaversus quantopere homines docti ac praesertim philologi, exoleta consuetudine scribendi Latine, munere suo te se abdicarint.

Nobis est persuasum Latinam linguam commercia inter doctos, praecipue inter eos, qui disciplinis philologis, historicis archaeologicisve student, hodierno quoque tempore fovere posse. Commentarios academicos exarare sermone naturali et communi scrutatoribus rerum classicarum inceptum est laude dignum, cum nationibus cunctis ostendat pro imperio linguae Anglicae alterum sermonem ‘universalem’ substitui posse.

Qua de causa cogitavimus de certamine ab Academia instituendo, ut optima symbola Latine scripta et in commentariis periodicis divulgata praemio honestetur. Certaminis praeconium documento subiuncto inest. Propositum primum huius certaminis erit suadere studiosis, praesertim

iuvenibus, ut investigationes doctas Latine publici iuris faciant. Ne plura scribam: sint Maecenates, non deerunt Marones...

Praesertim sodali nostro Marco Cristino gratias ago, qui hoc propositum summo studio atque ardore excogitavit, propagavit, defendit.
Valeatis pancratice atque Latinitatem fovere pergatis

Prof. Dr. Christian Laes

Departement Geschiedenis/ Department of History
Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp
Stadscampus·S.SJ.303·Sint-Jacobsmarkt 13·
B 2000 Antwerpen

CERTAMEN QUIRINALE

Academia Latinitati Fovendae ad primum Certamen Quirinale omnes antiquitatis litterarumque studiosos invitat, ut optima symbola inter a. 2018 et a. 2023 Latine publici iuris in commentariis periodicis facta praemio honestetur.

Ab universis scriptorum auctoribus rogatur, ut symbolam (iam typis traditam) non ex alio sermone versam nec quinque paginis brevioram iudicibus ante Kalendas Februarias a. 2024 mittant ad inscriptionem cursualem electronicam, quae est certamen.quirinale@gmail.com. Symbolae tantum accipientur, quae e plagula .pdf constant. Unam symbolam existimandam omnis candidatus tradat.

Collegium sodalium Academiae attente considerabit ac iudicabit commentationes doctas (e.g. philologas, litterarias, philosophicas, theologicas, archaeologicas, historicas, glottologicas vel musicologicas), aestimata et stili Latinitate et argumenti gravitate. Symbola enim enixe exquiritur non solum Latino sermone emendato scripta, sed etiam de rebus quae maioris sint momenti ad progressum disciplinae cuiusvis provehendum. Qua de causa scriptionibus tantum in commentariis periodicis editis in certamen venire licet et textus omnes reicientur sive qui his normis non responderint, sive qui ad argumenta privata vel pensa scholastica pertinere videbuntur sive qui ante Kalendas Ianuarias a. 2024 nondum publici iuris facti sint. Cum praemium proponatur curante et auspice Academia Latinitati Fovendae, cuius socii munere iudicis fungentur, nullus sodalis Academiae praemium accipere poterit.

Praemium victoris erunt Euronummi 500 una cum diplomate. Omnes candidati de exitu certaminis fient certiores mense Maio anni 2024 et victor in conventu ALF eiusdem anni praemio honestabitur.

Commentarii periodici, qui symbolas Latino sermone scriptas accipiunt, sunt e.g. Aevum, Arctos, Aristetas, Eos: commentarii Societatis Philologiae Polonorum, Epistula Leonina, Eranos, Exemplaria Classica, Giornale Italiano di Filologia, Gnomon, Hermes, Hyperboreus, Latinitas, Latomus, Melissa, Museum Helveticum, Peitho: examina antiqua, Philologia Classica, Renascens, Rheinisches Museum für Philologie, Rhetorica, Symbolae Philologorum Posnanensium, Tyche, Vox Latina.

**ECCE MYSTAGOGUS PULCHER
AUGUSTANUS**

Lateinische Stadtführung




Samstag, 16. September (14 Uhr)

Ohne vorherige Anmeldung
Wir treffen uns „Am Roten Tor.“

Näheres unter
0821 / 9069613

oder unter
<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>





Alexey Slednikov

К этому письму приложены ссылки на следующие файлы:

1. A. Slednikov de Latinitate viva.pdf (87.2 Мб)

Ссылка для скачивания файлов:

<https://cloud.mail.ru/stock/iSxU1M8WCzTk6fyKA38nvuPD>

Файлы будут храниться до 31.10.2023

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR | Num. mandata- telae | ISBN | TITULUS | AUCTOR | TRANSLATOR | ANNUS | FORMA | AMPLITUDO | PRETIUM |
|----|------------------------|-------------------|---|--|-------------------|-------|-------------------|-----------|---------|
| 1 | 00104 | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2004 | CD- ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 2 | 0010 4A | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA–Libri audibiles | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 21 min. | € 22,90 |
| 3 | 00204 | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM | Edgar Allan Poe | Nikolaus Gross | 2004 | CD- ROM pdf | 33 pp. | € 27,50 |
| 4 | 00304 | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | CD- ROM pdf | 6 pp. | € 17,90 |
| 5 | 00304 A | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | Audio | 6 min. | € 20,90 |
| 6 | 00404 | 978-3-938905-03-6 | MEMENTO MORI | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2004 | CD- ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 7 | 0040 4A | 978-3-938905-17-3 | MEMENTO MORI – Libri audibiles | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 20 min. | € 21,90 |
| 8 | 00504 | 978-3-938905-04-3 | DE CRAMBAMBULO | Marie von Ebner- Eschen- bach | Nikolaus Gross | 2004 | CD- ROM pdf | 14 pp. | € 19,50 |
| 9 | 00604 | 978-3-938905-05-0 | DE DINOSAURIS | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD- ROM pdf | 16 pp. | € 19,00 |
| 10 | 00704 | 978-3-938905-06-7 | SUDATORIUM VENERIS | Diogenes Anaedoeu s | ----- | 2004 | CD- ROM pdf | 11 pp. | € 19,50 |
| 11 | 00804 | 978-3-938905-07-4 | PERICULUM FRANCISCI | Diogenes Anaedoeu s | ----- | 2004 | CD- ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 12 | 00904 | 978-3-938905-08-1 | NUPTIAE ABDERITANAE | Bertolt Brecht | Nikolaus Gross | 2004 | CD- ROM pdf | 21 pp. | € 22,00 |
| 13 | 01004 | 978-3-938905-09-8 | TESTAMENTUM | Henricus van den Lande de | ----- | 2004 | CD- ROM | 7 pp. | € 17,50 |


| | | | | | | | | | |
|----|------------|-------------------|--|-------------------------------|----------------|------|---------------|---------|---------|
| | | | REYNERI BERLBYN | Raelt | | | pdf | | |
| 14 | 01104 | 978-3-938905-10-4 | DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD-ROM | 21 pp. | € 22,00 |
| 15 | 01204 | 978-3-938905-11-1 | FABELLAE GRIMMIANAE 1 | Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 16 | 00105 | 978-3-938905-12-8 | ROMULUS MAGNUS | Friedrich Dürrenmatt | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 49 pp. | € 31,90 |
| 17 | 00205 | 978-3-938905-13-5 | DE THILO CUSTODE FERRIVIAE | Gerhart Hauptmann | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 18 | 00305 | 978-3-938905-14-2 | HISTORIA AGATHONIS (LIB.1) | Christoph Martin Wieland | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 15 pp. | € 19,50 |
| 19 | 00405 | 978-3-938905-19-7 | WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT | Johann Wolfgang von Goethe | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 82 pp. | € 38,90 |
| 20 | 0050 5A | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 0060 5A | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 0070 5A | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles | C.I. Caesar | ----- | 2005 | Audio | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106 | 978-3-938905-21-0 | AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE | Nikolaus Gross | ----- | 2006 | CD-ROM pdf | 87 pp. | € 48,00 |
| 24 | 00206 | 978-3-938905-20-3 | DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM | Karl Friedrich Kilmeyer | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf | 66 pp. | € 38,00 |
| 25 | 0030 6A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles | C.I. Caesar | ----- | 2006 | Audio | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 0040 6A | 978-3-938905-25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles | M.T. Cicero | ----- | 2006 | Audio | 41 min. | € 21,90 |

| | | | | | | | | | |
|----|--------------------|---------------------------|--|--------------------------|-------------------|------|-------------------|---------|---------|
| 27 | 0050 6A | 978-3- 938905- 26-5 | EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles | L.A. Seneca | ----- | 2006 | Audio (2 CDs) | 88 min. | € 27,90 |
| 28 | 00107 A | 978-3- 938905-27- 2 | ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS | Apuleius | ----- -- | 2007 | Audio | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | 0020 7A | 978-3- 938905-28- 9 | OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA | Livius | ----- | 2007 | Audio | 53 min. | € 23,90 |
| 30 | 00307 | 978-3- 938905-29- 6 | FABELLAE GRIMMIANAE II | Jacob/Wil- helm Grimm | Nikolaus Gross | 2007 | CD- ROM pdf | 58 pp. | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**


**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM QUARTAM**



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE

PERFECIT

Die Lunae, 18. m.Sept. a.MMXXIII



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**